Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
D
98
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

STEPHANI VIGLIONII

LUCUBRATIONES

Digitized by Google

Digitized by Google

SACERDOTIS

STEPHANI VIGLIONII

E TERRA MALETI

LUCUBRATIONES

NEAPOLI
EX VANNI TYPOGRAPHEO
MDCCCLV

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMO DE ANDREA

EX DYNASTIS AREMANENSIUM

S. R. S. PRESBYTERO CARDINALI TIT. SANCTAE AGNETIS

EXTRA MOENIA

ARCHIEPISCOPO MELITENO

EQUITI MAGNO ORDINUM PLURIMORUM ET AMPLISSIMORUM

DIFFICILLIMIS CHRISTIANAE REI TEMPORIBUS

ACERRIMO PROPUGNATORI

LITTERARUM OMNIUM AC MERCURIALIUM VIRORUM

MOECENATI BENEMERENTISSIMO

STEPHANUS VIGLIONIUS

IN NEAPOLITANO ARCHIEPISCOPALI CLERICORUM GYMNASIO

RETHORICES JAM PROFESSOR

PRO SUA IN TANTUM VIRUM OBSERVANTIA

S. P.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum levidenses has meas elucubrationes in studiosae praesertim juventutis gratiam, pluribus hortantibus amicis, per typos edere statuissem, cui potissimum nuncuparem, non diu mihi multumque fuit cogitandum. Ipse mihi statim, Eminentissime Princeps, menti occurristi: tibi uni exiguum hunc ingenii nostri foetum credendum ac tutandum jure optimo meritoque judicavi. Et sane: cum illud in more sit positum, ut iis praecipue viris id genus opera inscribantur, qui vel natalium splendore, vel sua ipsorum gloria maxima pollent apud alios auctoritate et gratia, quibus ea possint et fovere, et commendare, et contra obtrectatorum malevolentiam tueri, cumque generis nobilitate, ac tuis ipsius laudibus caeteris omnibus longe praestes, hanc nostrae in te observantiae testificationem jure quodammodo tuo tibi videris vindicare. Ut enim majorum tuorum,

quorum origo ultima ab Illyriae Regulis, proceribusque Galliae repetenda est, virtute, et praeclare gestis rebus partam omittam gloriam, paternam omnino silentio praeterire non possum. Vivit adhuc, et sempiterna saeculorum memoria vivet egregie illius cordati viri, amantissimi parentis tui, Joannis de Andrea Dynastae Neapolitani, et Equitis Prioris in Ordine Hierosolymitano fama ac decus incorruptum. Nulla certe delere poterit oblivio illius et integerrimam religionem, et spectatam animi moderationem, et antiquam fidem, et singularem prudentiam, et incredibilem constantiam, et in difficillimis quibusque expediundis negotiis dexteritatem, et in justitiae sarctis tectis tuendis juribus acerrimam propugnationem, et in bonorum accurandis commodis impensissimam voluntatem ac studium, in omnibus denique cum publicis, tum privatis obeundis vitae officiis industriam, diligentiam, abstinentiam, temperantiam, caeterasque hujus generis virtutes, quae mirum in modum in eo praenituerunt. Nemo profecto est Neapolitanarum rerum adeo rudis, quem fugiat, quantum illius et morum sanctitati, et mentis perspicientiae, consilioque debuerit olim, atque adhuc debeat universum hoc Utriusque Siciliae regnum. Cum enim ipse a vectigalibus, et publicis sumptibus, atque ab interioribus Religionis consiliis Ferdinando I,

et II P. P. A. A. FF. fuit, tum maxime omnium, ac felicissime res haec nostra publica visa est florere. De quo sane praeclarum illud extat testimonium, quod cum aerarii male se haberent rationes, maximoque premerentur aere alieno, ad eas ipse reficiendas vocatus pari et felicitate et industria, salvis privatorum fortunis publicum censum ita accuravit, composuit, constituit, ut omni aeris alieni ablato pondere, quam plurimum auxerit, et amplificarit. Cum vero cuncta illius clara facinora non modo subtili narratione persequi, sed ne delibare quidem (quod longum, atque operosum esset) praefationis hujus justa brevitas non patiatur, unum, aut alterum proferre sit satis, unde quanta morum innocentia ac temperantia fuerit, quae publicarum rerum moderatores maxime decent virtutes, luce clarius dignoscatur. Atque illud in primis, quod cum per iniquas legum sanctiones Christiani Conjugii sanctitas, facta inter conjuges divortii copia, impudentissime appeteretur, ipse, ne tam nefariis contra Religionem, ac bonos mores legibus subscribere videretur, honoribus sua sponte cedens maluit publica luce, atque ampliorum munerum spe carere potius, quam perditorum hominum inhonestam voluntatem sequi. Quamobrem, quo fungebatur, abdicato munere, urbe abstinuit, ac decem annorum spatio privatam ruri, at litterarum suavi-

tate jucundissimam transegit vitam. Quod et per totidem fecit annos, cum ad publicarum rationum instaurationem et procurationem revocatus, postquam cum nonnullorum corruptela suam non posse integritatem stare vidit, suae constantiae magis memor, quam utilitatis, quae sibi ex honorum administratione obvenire poterat, studiosus, vale iterum honoribus dicto, in amoeniorum litterarum otia secessit. Verum quod in maximis illius laudibus ponendum, quodque et aequales demirati, et sera nepotum posteritas demirabitur, illud profecto est, tot eum ac tantis quaestuosis muneribus perfunctum tanta in illis gerendis abstinentia extitisse, ut praeter illustre nomen, et excultum in bonarum artium disciplina ingenium, non aliam, quam a majoribus clarissimis acceptam liberis suis reliquerit haereditatem. Atque eo magis in hoc ipso laudandus videtur quod nec pretiosa domi suppellectili, nec per omne vitae tempus liberali nimis usus est et victu, et cultu. In summa, ut universa, quae de illo praedicari possunt, paucis complectar, omnibus tam publicis, quam privatis in rebus talem se praebuit virum, ut merito de ipso affirmari queat, quod Tullius olim ad Q. fratrem Asiae provinciae proconsulem scribens monebat, suam videlicet cunctis operam ita probare niteretur, ut eum tanquam ex annalium memoria prae-

clarum quemdam hominem, aut provinciae commodis Coelo delapsum intuerentur.

Quid vero de te, Princeps Eminentissime, tanti Parentis dignissimo filio dicam? Tuis nimirum laudibus traditam perpetuo ab avis tritavisque dignitatem multo ampliorem atque illustriorem effecisti. Tanta animi alacritate, atque ardore initum semel virtutis ac laudis stadium hactenus decurristi, ut praeceptam de te hominum expectationem longe multumque superaris, quamque sibi alii longo satis annorum intervallo assecuti sunt gloriam, tu tibi paucis vix elapsis lustris ingentem comparasti. Neque fumosae tuorum majorum imagines, neque gratiosorum suffragatio, aut ambitio, vel aliae id genus artes, sed tua virtus, ingenium, atque suscepti, et feliciter exantlati pro Christiana re labores in hoc te amplissimo Cardinalis, quem pulcherrime tenes, gradu collocarunt. Nec enim obscuro, aut vario sermone hominum, sed clara, et una omnium voce, quae in munerum commissa tibi procuratione prudentiae, et caeterarum virtutum et isthic Romae, et ubicunque fuisti, praebueris, et majora in dies praebeas admiranda specimina, ad nos sunt allata, et quotidie afferuntur. Accepimus enim, nec sine magno voluptatis sensu, multis ingenii, consilii, continentiae, moderationis, innocentiae suavitatibus captos tum Gre-

gorium XVI immortalis memoriae Pontificem, tum Pium IX Pont. Max. te magnopere delectatos esse, dignumque judicasse, cui maximas ornandas provincias demandarent. Alter siquidem Helvetiae foederatis pagis interpretis sui nomine te praefecit: alter vero tuae potestati atque arbitrio Umbriam, ac D. Petri Patrimonium extra ordinem primum, Umbriam deinceps, et Sabinam, Viterbiensem denique legationem gubernandam commisit. Quae quidem omnes provinciae in tanta sententiarum perversitate, ac temporum iniquitate, in tam depravatis hominum moribus, et licentia, quantis et quam gravibus, suis quaeque maximopere laborarent incommodis, facilius, per se quisque intelliget, quam brevi verborum ambitu heic ego valeam enarrare. Sed quanta ipse prudentia et felicitate illas administraris, quantum adflictis populorum, et religionis praesertim consulueris rationibus, satis superque declarant et inita a duobus praefatis Pontificibus summa benevolentia, et gratia, et relictum apud eos, quibus praefuisti, ingens tui desiderium, et collecta undique non ementita laudum praeconia. Nec mirum: cum propulso legum, ac poenarum metu, non militum, atque armorum strepitu, non minis, ac terroribus, sed Pastorum Principis Jesu Christi exemplum secutus tuis integritatis ac temperantiae exemplis po-

pulos ad virtutem sectandam, et ad vitiorum declinandam foeditatem sua sponte allexeris potius, quam per vim contra animi sententiam adegeris. Tu Majorum tuorum constantiam, et πολιτικην singularem imitatus, omnem tuam curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in illud contulisti, ut ii quibus praeeras, essent quam beatissimi eorum commodis, utilitatique dies ac noctes serviendo, teque omnes veluti pastorem vigilantissimum, ac Parentem indulgentissimum agnoscerent atque intuerentur. Hinc ille sane profectus est praecipuus in te populorum amor atque observantia, hinc tuis legibus ac scitis enixa obtemperatio, Magistratuum in suis officiis continentia, legum verecundia, Religionis honor, ac diligens cultus, hinc passim, quocunque advenisti, excisae corruptelae, excultae artes, atque omnia tam publice, quam privatim optime constituta. Neque heic loci, quoniam et instituti mei ratio, et tui id prohibet pudor, neque heic loci dicam, quanta pro tuenda Religionis atque imperii incolumitate tua extiterit virtus, cum proximis hisce temporibus intentati a perditissimis hominibus belli vis tota in ipsum Religionis penitus eruendum fundamentum conversa est. Quae tua tum gravitas, qui ardor animi fuit? Tu tum, Hieronyme, tuum ingenti gradu locum tenuisti: tu in ipsam pericu-

lorum dimicationem tui paene oblitus te fortiter conjecisti; tu ambitiosorum cupiditati atque impudentiae restitisti: tu improbis eorum unguibus commissarum tibi gentium fortunas ac liberos defendisti, tu anathematis libellos in audacissimam impiorum manum a Pio IX Cajetae datos evulgare non dubitasti: tu nihil ad explendas pro virili Apostolici muneris partes intentatum reliquisti. Sed contra, quam institueram, facio, et ulterius, quam volui, meus hic evasit sermo, nec forsan deerunt, qui virtutem incolumem cum invidia prosequantur, me turpissima assentationis nota inurent. Ego autem nihil egi aliud, quam ab aliis sermone aut scripto relata referre et veris minora retuli. Atque, ut illius Romanorum Rerum Scriptoris longe principis in re licet dissimili verbis utar, *utcunque haec animadversa, aut aextimata erunt, haud magno ponam in discrimine*. Reliquum est, ut tantam tibi gratuler virtutem, perque illustriora facinora majora in dies familiae tuae, patriaeque carissimae gloriae adjicias ornamenta, exoptem. Verum cum ita sese res habeat, praeclare mecum actum putabo, si exiguas has meas elucubrationes auspicatissimo tuo nomine inscriptas in lucem prodire patiaris, easque in tuam praestantem recipias fidem, ut, quam a seipsis non habent, a te, Princeps Eminentissime, lucem et existimationem aucupen-

tur. Atque inde fiet, ut id aetatis adolescentes, in quorum commodum illae typis mandantur, utpote laboris impatientes, et latinarum hujusmodi rerum minime, aut certe parum studiosi ad illas et acquirendas et perlegendas facilius alliciantur. Nimis arroganter a me factum nonnulli fortassis arbitrantur, quod levem, nec te tanto viro satis dignam opellam tibi nuncupare sim ausus. Sed hi erunt fere, qui tuam in omnes incredibilem benignitatem et comitatem penitus ignorant. Quae quidem ipse cum ex aliorum sermonibus haberem perspecta, clarius tamen intellexi et a binis epistolis a te mihi Roma superiori anno humanissime scriptis, et cum domi tuae Neapoli apud Franciscum Xaverium Dynastam Auphidenatium, Equitem Hierosolymitanum, fratrem tuum clarissimum (quem honoris causa nomino) intra vertentem Septembrem mensem te conveni. Quam blande, quam benigne, quam comiter me tunc excepisti! Qua verborum minime fucata significatione tuam in me benevolentiam non ostendisti? Quibus efficacibus, et perbellis modis ad amoeniores magis ac magis in dies excolendas litteras non es cohortatus? Ut verum fatear, si tenuia haec mea scripta publicae lucis usura fruuntur, tibi maxime debent. Quamquam enim et alii non pauci idem mihi dederint consilii, ipse tamen studiosius impulisti, utque operi ci-

Digitized by Google

tissime admoveretur manus, effecisti: Tua quippe apud me plurimum valebat auctoritas; ut nefas esse ducerem tibi non parere. His sane de causis facile adducor, ut putem, te si minus libenti animo non invitum certe hoc excepturum qualecunque munus, meaeque in te observantiae veluti perenne pignus habiturum. Extremum illud est, ut etiam atque etiam vehementer a Te petam, Tibi persuadeas, me fore perpetuo

Eminentiae Tuae Reverendissimae

Devotissimum Addictissimum Servum
STEPHANUM VIGLIONE.

Dabam Maleti Id. Maji, An. Rep. Sal. M. D.CCC. LIII.

ELOGIA

—

JOSEPHI TOZZII

Ego quanti te faciam semperque fecerim, Stephane clarissime, etsi minus fortasse quam par erat, tamen, quibuscumque rebus potui, me arbitror significasse. Nam et laudis atque existimationis tuae me semper studiosissimum cupidissimumque praebui, et in crebris amicorum sermonibus, quotiescumque de te mentio est illata, ea dixi, quae de homine summa doctrina atque optimarum artium studiis mirifice ornato dicenda videbantur, semperque dolui te non perinde ac de litteris meritus es, praemia consecutum. Sed, his omissis, quantum laetitiae ceperim ubi primum accepi te aureas tuas lucubrationes typis edere constituisse, nihil attinet commemorare. Neminem enim ex amicis meis unquam conveni (conveni autem plurimos) quin eum de tuo consilio certiorem facerem, tum de tuis scriptis ea dicerem, quae non parvam omnibus expectationem afferrent. Neque praetereundum est, quod etiam potes meminisse, meipsum tibi et auctorem, et hortatorem fuis-

ae, ut quod opus tibi serius suscipiendum proposueras, primo quoque tempore perficiendum curares. In quo quidem, ut verum fatear, non tuae modo, sed patriae quoque gloriae ac laudibus videbar inservire. Sic enim mihi persuasum erat, quocumque tuus hic libellus perveniret, illuc una nostrarum litterarum famam perventuram ; quo facile perspiceretur, id quod nemo unquam negare ausit, nobis unis naturam (absit verbo invidia) et ingenium ad elegantias natum. et exquisitum auritum judicium tribuisse. Quamobrem tibi gratulor, mihi gaudeo, quod inter importunos civilium armorum strepitus ac tumultus, quibus adhuc perterriti et conflictati jacuimus, cum litterae in primis latinae pene mersae atque extinctae viderentur, tu, nos edito elegantiarum plenissimo volumine erexeris et confirmaris, effecerisque ut latinas beatioris aevi musas adhuc nobiscum versari laetaremur. Quae si assiduis tui tuique similium conatibus revixerint, si e tanta caligine et tenebris emerserint, se seque in pristinum decus nitoremque restituerint, praeclare nobiscum actum existimabo. Neque enim dubitandum erit quin, stantibus illis, stet etiam salus ac splendor civitatis.

Fac valeas, teque ipsum virtutis ac optimarum artium conscientia sustentes.

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI

DOMINICI DE ROSA

CATHEDRALIS AVERSAE CANONICI

Etsi ex quo primum die postulasti ut judicium meum de tuis libellis aperirem ad tuis votis satisfaciendum animum appulerim, tamen periculosae plenum opus aleae intuens, quasi tergiversando non breve sane temporis intervallum effluere sum passus. Sciebam enim in tanta nunc assentatorum, et in doctorum hominum, qui se litteratos profitentur, nos multitudine versari, ut alterutrorum opinionem mihi esse subeundam certum haberem. At cum mihi diutius non morandum videretur, animum induxi ut tua scripta ea, qua par erat, diligentia iterum atque iterum pervolutarem, quod mihi continuo in voluptatem ac jucunditatem singularem evasit. Licet enim in illis nihil nisi perfectum ingenio, atque elaboratum industria me lecturum fuisse putarem, ex ipsa tamen lectione ea sententia magis animo penitus insedit ac roborata est. Quaecumque enim affers sive versu,

Digitized by Google

sive prorsa oratione, tanto verborum nitore atque elegantia, tanta sententiarnm aequitate et gratia se probant, ut vel praecipuis priscae latinitatis imitatoribus non modo conferendus, sed et aliquo pacto anteferendus videare; utile enim dulci permiscens omne punctum tulisti. Nam praeterquam quod lingua elegantissimorum scriptorum loqueris, nihil inducis nisi quod moribus optime formandis ac religioni fovendae apprime conducat. Quare propositum urge, atque ut publicae voluptati ac utilitati servias, fac quam primum per typos in lucem, apertumque proferantur.

ORATIO

IN AMBITIONIS DAMNA

HABITA III IDUS JAN. A REP. SAL. MDCCCL

IN AEDIBUS ARCHIEPISCOPALIBUS

ACADEMIAE LATINAE PRIMO INEUNTE ANNO

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO

Cum mihi primum et hujus auctoritatem loci contingere, et auspicatissimum nuper institutae latinae Academiae annum aperire obvenisset, quid huc potissimum perfectum ingenio, elaboratum industria, quod cum Eminentissimi Praesidis votis, tum eruditissimorum hominum, quorum praeclara septi sumus corona, expectationi responderet, afferrem, diu multumque cogitavi. E plurimis, quae mihi in mentem veniebant, nullum profecto aptius, accomodatiusque succurrit argumentum, quam de ambitionis, illius virtutis universae pestis, et multorum malorum originis, perniciosis effectis. Illud enim sapientissimo sane consilio a majoribus nostris institutum est, ut ea praesertim academicis ejus generis congressibus pertractarentur argumenta, in quibus et exercitationi simul esset locus, et insigne aliquod morum do-

Digitized by Google

cumentum ad vitam rectius instituendam contineretur. Tanti vero vitii foeditate animis penitus infixa et certissima, quae inde proficiscuntur, excedimus mala, et ad virtutum poene omnium laudem atque honestatem comparamur. Enimvero, si satis apud omnes, exploratumque est, incredibilem quamdam laudis gloriaeque cupiditatem inesse natura hominibus, quisnam dubitare audeat, quin homines litteris eruditi, quippe qui majori polleant animi cultura, majori quoque ardore ad gloriam ipsam comparandam rapiantur? Neque tamen eam, ubi ratio certa, moderatioque adhibeatur, damnandam omnino, ac rejiciendam esse contendimus: proditum siquidem historiis est, egregia prorsus, atque inaudita domi militiaeque facinora fuisse, gloria duce ac magistra perpetrata. Atqui cum vitia nonnulla, virtutesque, ita sese habeant, ut brevi admodum distent intervallo, communique veluti cognatione inter se contineri videantur, pertimescendum est merito, ne ab honestae gloriae fine quam longissime abducti in quasdam, ut ita dicam, foedae ambitionis syrtes offendamus. Quod sane cum in caeteris, in illis maxime compertum est usuvenire, qui severioribus, aut amoenioribus disciplinis mediocrem operam cum navarint, magnum se fecisse rati, praecellenti ac futili *suiipsorum* existimatione efferuntur, atque adeo dedecus sibi ac perniciem, nedum gloriam ac salutem pariunt. Nec vos fortasse latet, non levia plerumque damna hujusmodi male feriatis ingeniis communem hominum societatem accepta referre. Quod si ad miserrima isthaec nostra tempora mentis aciem paullisper advertamus, et gravia damna ex insolenti

nonnullorum dominandi cupiditate in Europam universam invecta serio perpendamus, non modo meum, quod hoc orationi selegerim argumentum, non improbabitis consilium, verum etiam plurimi faciatis, necesse est. Heic autem tanta existit dicendi seges et copia, ut nulla Eloquentiae vis ac facultas, nulla quantumvis subacti oratoris exercitatio atque usus satis pro dignitate valeat, non dicam, enarrare, sed ne primoribus quidem, ut ajunt, labellis degustare. Verum enim vero me in tanta ingenii tenuitate laborantem in ipso statim orationis vestibulo unice reficit et corfirmat tum Eminentissimi Principis jucundissimus conspectus, tum vestra, Auditores, humanitas atque indulgentia. Quibus si me fretum adjumentis sentiam, perficiam profecto, ut quantum homini ipsi ambitioso, publicoque bono adversetur, ac noceat ambitio intuentes, non fugiendam modo, sed et abominandam omnique ratione putetis oppugnandam.

Et principio quidem neminem vestrum arbitror esse, Auditores, quem fugiat, quanti antiquitas fecerit pulcherrimum illud, omnisque sapientiae caput, ac summam Solonis effatum γνῶθι σεαυτον, cum et inter celebriora ἀποφθεγματα numerarit, et pro Delphici templi Oraculorum tunc temporis celebratissimi foribus curarit inscribendum. Et sane: si quis velit rem serio aestimare, saluberrimi hujus ignoratione praecepti contingit saepenumero, ut permulti nullam caeteroqui nacti virtutis indolem, nulla ingenii laude commendati, nullis, aut exiguis plane suffragantibus recte factorum meritis subnixi, nec quid valeant humeri, quid ferre recusent, nec quid hono-

ribus et magistratibus, quos ambiunt, insit oneris, perpendentes, objecta insignium specie ac pompa capti, nullum non moveant lapidem, nihil, ut eos tandem aliquando assequantur; intentatum relinquant. Nimirum asservatis domi majorum imaginibus, optime fundatis fortunarum opibus, avorum bene feliciterque gestis rebus, non moribus, non virtuti, perspectaeque industriae, atque homini debere cuncta arbitrantur. At o miserum et vecors hominum genus! liberi cum sitis, atque ingenui, non vos pudet per foedam honorum cupiditatem turpissime elevari? An non libero homine indignissimum, quod alii litterarum otio, quod pietatis studio, quod caeteris vitae officiis, honestisque animi aut corporis oblectamentis perutiliter insumunt temporis, totum id concursationibus vagis, potentiorum atriis celebrandis, aut per se, aut per communes amicos rogando, commendandoque impendere? An non turpissimum, quod et servorum plane, assectari, blandiri, adulari? An non crimini infamiaeque vertendum maximae nobilissimarum virtutum qua verbis, qua oris, incessusque gravitate sanctimoniam simulare, a quibus inire gratiam intersit, ita voluntatibus obsecundare, ut ad eorum quoque sensum et frons, et vultus contra animi sententiam commutentur? Muneribus, largisque pecuniae dispensationibus perampla sibi emere honorum fastigia, quos morum integritate, ingenio, labore, industria et dignum est obtinere, et consilio, fide, vigilantia, cura denique summa sustinere oportet? Atque, ne a carceribus, uti loquuntur, modo dimissa nimium excurrat atque vagetur oratio, ad propositam metam se-

rius perventura, sinite hoc loco, auditores, praeterire me gravioris momenti nefarias artes atque molimina, insignium non raro ambitiosis ipsis malorum causam. Illud tamen silentio omnino praetereundum non est, qua nempe intima continentique sollicitudine, quibus aestibus, quibus dissidentium affectuum furentissimis procellis concutiantur cupidi id genus homines, atque conflictentur. Quemadmodum enim in perturbationum animi sedatione tranquilla vita et beata a sapientibus merito collocatur, sic et miserrima prorsus, iisdem incitatis et inflammatis ac peracerba dicenda est. Quid ergo? Vidistis ne unquam, auditores, aut ab aliis accepistis, siquando decertantium ventorum subita exorta vi, pelagus concitetur, totumque a sedibus convulsum imis misceatur, quot immanes consurgant undarum moles, quot ex improviso depressorum fluctuum recessu voragines aperiantur, qui frequentes vortices volvantur? Haud alio sane pacto videor mihi videre honorum cupiditate abreptos in spem, nunc laetissimam extolli, coelumque, ut ita dicam, manibus captare, nunc desperatione perculsos de illo, quod modo mente praeceperant, rerum fastigio deturbari, nunc improbis invidiae procellis aestuare, nunc metu exedi, nunc odii curarumque omnium gravissimo turbine agi in partes omnes versari, ab imis unguibus ad verticem usque summum distrahi, miserumque discerpi. Quoties per Deum immortalem tristissima talium hominum succurrit imago, facile adducor, ut credam, nullum gravius supplicium de seipso potuisse sumere. Menedemum illum, quem filii desiderio sua parentis asperitate domo exulantis moerentissimum, quaesitisque

Digitized by Google

de industria laboribus atque curis sese conficientem terentiana fabula inducit. Adeo illos nec domesticorum blandimenta leniunt, nec amicorum consuetudo recreat, nec liberalissima optimarum artium voluptas explet, nec aut somnus quiete, aut cibi suavitate reficiunt, nec agri quibuscumque pollent honestissimis delectationibus alliciunt, nec obambulationes, aut jucundiora ejus generis solatia redintegrant, quibus adhibitis, gravissimae persaepe curae conquiescunt. Quo quid laboriosius, quid acerbius, quid miserius dici, aut fingi potest? At enim: sicut inusitatam ac singularem prorsus voluptatem capiunt, qui optatissimum tandem portum ex magna periculosaque jactatione tenuerunt; ut et praeteritorum laborum non pigeat, quin etiam juvet meminisse, ita sane, si qua in honorum consecutione adeuntur interdum pericula ac tempestates, evanescunt illa statim, felicitatisque atque amplitudinis subsecuto foenore cumulatissime rependuntur: ea namque est ingenita dignissimarum rerum indoles, ut nonnisi permolesto obstinatoque aerumnarum certamine nequeant comparari. Praeclara vero amplitudo, tanto dedecore, totque infamiis parta, invidenda scilicet felicitas, quam curarum omnium concitatae turbae, ac fluctus comitantur. Atque illud in primis, nec fortasse contemnendum mihi occurrit, quod, cum sint cupiditates hominum insatiabiles; quo magis indulgendo atque obsecundando explere cupias, eo, quibusdam veluti subjectis facibus, vehementius excitentur necesse est atque inflammentur. Jam vero qui ad honores mente tantum praeceptos, quod modo vestris prope oculis inspexistis, adeo inflammato stu-

dio rapiebantur, arbitremurne eos, cum jam illustrem aliquem locum, quo tendebant, occuparint praeclare secum actum, et quasi navem terra potitam, quiescendum putare? Bone Deus! incredibile dictu est, quam subito alios atque alios spectent altiores gradus, quam majori solicitudine teneantur, quibus acrioribus ambitionis stimulis incitentur, et miserrime torqueantur. Recolite, quaeso, auditores, potentissimum Macedonum regem, omnique gloriae imminentem, Alexandrum. Is enim cum et militum vi, et suo ipsius consilio ac virtute Graeciam totam imperio suo adjunxisset, magnis inde comparatis copiis florentissimas Persarum Asiaeque universae provincias loci natura et praesidiorum robore inexpugnabiles plerasque celeritate summa peragratas non minori felicitate subegit: Aegiptum praeterea, atque extremos nunquam antea tentatos Indos nomine ipso atque adventu superavit, pulcherrimas ubique gentium fundavit, appellavitque urbes aeternam apud posteros famae celebritatem habiturus. Is tamen cum tot tantisque terra marique praeclarissimis gestis plaudere sibi deberet, lacrymas fudisse dicitur, cum latissimum Indiarum pelagus, quo terras demum terminari arbitrabatur, circumspectans, nihil jam, quod armis vindicaret, superesse existimavit, o monstrum inauditum! tot potentissimorum regum ac populorum victor ille ac dominator durissimam adeo servit gloriae servitutem, ut ob novas victorias in novas et graviores sese paret contentiones, atque ipsius capitis dimicationes objicere. Quid? Nemo unus, puto, cui cor sapiat, negare ausit, non minimum ad beate vivendum conducere, quid de nobis alii sentiant, percipere,

et quamdam a bonis omnibus vel naturae ipsius praestantia, vel virtutum et egregiorum factorum existimatione conciliatam gratiam atque benevolentiam. Sed quid de illis judicabimus, qui, cum ad honores per fas omne ac nefas obrepserint, praeter caeteras vitae ignominias intoleranda quoque se praebent morum superbia, atque insolentissima arrogantia? Illos nempe et boni aversantur, et mali pertimescunt, et majores natu despiciunt, et minores dedignantur. Illis et invident aequales, et aemuli insidiantur, et liberrima civium succenset indignatio. Hinc ille sequitur dolorum ac miseriarum sensus, perpetua scilicet trepidatio, atque angor, qui fictis poetarum furiis multo acerbius lacerat, exest animum, planeque conficit. Quoniam vero fidem rerum expertis adhibere facilius solemus, eorumque firmius assentiri dictis, te fortunatissimum Syracusanorum tyrannum, Dyonisi, appello, qui cum in perillustrem civitatem, opibusque omnibus abundantem dominarere, satis tamen visus es declarare, quanta inde non felicitas, sed miseria, non voluptas, sed aegritudo, non quies denique, sed sollicitudo in dies capiatur: qui diu noctuque umbram paene tuam inaniter pertimescens e pluribus, quibus utebare, familiaribus, amicum tibi neminem, neminem fidelem arbitratus tuis ipsius regiis virginibus tondendam barbam, corporis vero custodiam feris barbaris commisisti; qui memorando sane invento posteritatem omnem edocuisti, nihil usquam tetrius, nihil acerbius, nihil luctuosius posse eorum vita excogitari, quorum cervicibus vel inter exquisitissima deliciarum incitamenta, regiamque magnificentiam in singulas ferme horas districtus ensis impendet.

Quod si, caeteris missis, certum ambitiosorum hominum finem tantisper attendere velimus, periculis, calamitatibus, exitiis plenum oportet fateamur. Heic autem innumera mihi prorsus ad rem confirmandam exempla suboriuntur, ut, ubi mea maxime exsultaret ac triumpharet oratio, ne vestra, qui me tam diligenter attenditis, benignitate abutar, injectis illi quodammodo froenis cogar, inhibere. Testis enim mihi sunt Ippias, et Ipparcus, quorum, cum a parente Pisistrato per fraudem ac seditionem jam occupatas tenerent Athenas, alter misere interemptus, alter vero coactus exulare, nequicquam aliorum opem injuriam ulturus imploravit. Testis est Dionysius illius paullo ante commemorati filius, qui semel atque iterum Syracusis expulsus in eam tandem egestatem adductus est, ut ad vitae subsidia sibi comparanda pueros Corinthi susceperit edocendos. Testis est crudelitate superbiaque insignis Tarquinius, quem Cumis senio acrumnisque confectum tradunt, cum in amissum regnum, quod per nefandam soceri necem praeripuerat, restitui nec Vejentium, nec Latinorum armis potuisset. Testis est Julius Caesar, vir et ingenii laude, et rerum bellicarum prudentia maximus, in quem Dictatoris perpetui arrogata potestas cum gravissimam suorum civium conflavit invidiam, tum violentas conjuratorum manus quodammodo incitavit. Sed quid externa et nimis antiqua commemorem, cum proxima et domestica habeamus exempla? Ipsi per vos, auditores, ipsi probe nostis, quam pessime de seipsis fortunisque suis sint meriti qui duobus hisce superioribus annis legitimam a Deo constitutam dominationem spernentes in spem

futilem et iniquam dominandi cupiditatem sese insolenter erexerunt. At ne contracta, nondum obducta vulnera importuna recordatione refricemus, ista quoque libenter omittamus. Verum adeste animis, auditores, adeste, et graviora incommoda, quae in communem hominum societatem ex ambitione derivantur, videamus.

Atque, ut rem ipsam a suis fontibus altius repetamus, quamvis ipsa per se maximopere diligenda atque excolenda sit virtus, hominemque, ut scite, admodum moralis ille philosophus sentiebat justum esse gratis oporteat, quotus tamen quisque est, qui una virtutis pulchritudine et honestate captus ad eam vel mediocriter colendam excitatur, aut movetur aliquando? Sive enim fucatis vitiorum lenociniis, quae animum pelliciunt, sive ipsa, quae primi parentis lapsum subsecuta est, mentis nostrae pravitate, fieri solet, ut nonnisi difficillime insitum virtuti decus intueri, et perblandas, quibus ea pollet, illecebras persentire valeamus. Quod si laudis, honoris, gloriae, aut talium velut igniculorum vis accedat, ardentissimo extemplo illius amore occupari fas est homines, et nullis unquam difficultatibus, aut periculis, quo minus assequantur, impediri. Quo profecto Tullius, cum de poetis sui temporis loqueretur, hoc inter sapientiora veterum numerando effato spectare videtur. *Honor alit artes, omnesque ad studia incenduntur gloria, jacentque apud omnes ea, quae apud quosque improbantur.* Quae cum ita sese habeant, quis non videt, planeque non sentit, quantam rebus omnibus publicis importet labem ambitio, quae modo vi, modo fraudibus honores corripiendo atque occu-

pando, magnum hocce virtutis ad egregia quaeque incitamentum debilitat, penitusque evertit ac perfringit? Illud re quidem vera in causa est, cur saepenumero jaceant artes, ingenia tabescant, pietas negligatur, mores corrumpantur, leges contemnantur, omnia in pejus mutentur, ac retro sublapsa referantur. Ecquid sane aliud Romanam quondam terrarum principem rempublicam adeo perturbavit, attrivit, subvertit, nullum ut ferme pristinae dignitatis vestigium retineret? Ambitio. Quid sanctissimi ordinis Patrum amplitudinem, quid judiciorum religionem atque integritatem imminuit, labefactavit, extinxit? Ambitio. Quid annuorum magistratuum persapienter constitutam rationem ac potestatem immutavit, elevavit, perdidit? Ambitio. Quid militarem disciplinam, qua profecto potius, quam hominum virtute ac multitudine imperium longe lateque prolatum, et constabilitum erat, innovavit, corrupit, disjecit? Ambitio. Quid legum institutorumque majorum sanctitatem, quibus firmissimis veluti praesidiis munita adversus ingruentium bellorum impetum et domesticarum seditionum tempestates tandiu respublica illa steterat, violavit, comminuit, profligavit? Ambitio. Vix enim in ea dominationes novae appeti, et pecunia comparari coeptae, cum labi paulatim mores, desidere, in praeceps devolvi denique occoeperunt. Atque, ut hoc facilius intelligatis, illud quoque foedissimarum teterrimarumque rerum causam ac fontem uberrimam perpendite, eam inesse ambitioni vim perniciosissimam, ut ad scelus omne vel audendum, vel perficiendum quam vehementissime impellat. Itaque nihil est adeo sanctum ac religiosum, nihil adeo firmis legibus cautum

praesidiisque obvallatum, quod furore impotentissimo non impetat atque rescindat ambitio. Ex illa quoque perbelle conceptae fraudes, inusitatae perfidiae, infensissimae simultates, crudelitates inauditae, flagitiorum omnium importunitas erumpit. Est iniquissimum per nefarias obtrectationes infamesque calumnias turpissimam aliis personam imponere, vitae insidiari? Ambitio insidiatur, imponit. Est impiissimum res novas moliri, patriam prodere, violentas manus parentibus ipsis afferre? Parentibus ipsis violentas manus attulit ambitio, res novas, patriaeque proditionem molita est. Societati adversatur maxime seditiones conflare, ad civiles atque internecinas factiones cessantes populos vocare, rebelliones concitare? Ambitio concitavit, vocavit, conflavit. Haec et in agris vastitatem, et in vicis incendia, et in urbibus conjurationes, et in castris tumultus disseminavit. Per hanc ferro flammaque incensa, excisa, misere funestata oppida, quae pulcherrima pace primum secundissimaque fortuna fruebantur. Per hanc et Religio ipsa.... miserum me! quo tandem oratio isthaec mea, cum ad exitum properare videretur, devenit? Nullus unquam sane, nisi forte desipiat, inficias ibit, inter immensa divinae largitatis beneficia humano generi abunde collata primas tenere Christianam Religionem, societatis basim ac fundamentum, quo nimirum stante, aut ruente, stet illa necesse est, aut funditus evertatur. Religio namque est tutissima vitae dux, magistra morum, vitiorum expultrix, virtutum custos diligens ac studiosa, veraeque felicitatis conciliatrix. Illius et praeceptorum sapientiae, et disciplinae severitati, et dogmatum sanctitati verius,

quam satellitum robori, armorumque potestati debent populorum obsequium reges, legum custodiam magistratus, famulorum fidelitatem domini, filiorum reverentiam parentes, thalami fidem conjuges, bonorum conservationem possessores, egestatis levamen pauperes, communem omnes charitatem ac tranquillitatem, quicquid denique jucundius, nobilius praestantiusque homini e societate ipsa proficiscitur. Verum enim vero qua potissimum ratione, ne brevitatis fines nimium praetergrediar, calamitates prope infinitas, quibus ambitio Religionem affecit, recenseam? Quid? monstrosa illa, ut alia praeteream, errorum portenta, quae seculo christianae rei XVI. ab inferis emerserunt, colluvies illa, ac putidissima superiorum haeresum sentina, ut D. Alphonsi verbis utar, quem non angit, quem vel sola recordatione vehementer non conturbat? quam foeda, quam non ferenda illa fuerunt, quae per eam tempestatem Ecclesiam adflictarunt? Videor mihi jam nunc videre haereticorum pestilentissimos Lutherum, atque Zuinglium, ex Averni veluti faucibus excitos, sublato impietatis vexillo, magnis asseclarum undique contractis copiis, in ipsum Religionis caput atque arcem facto primum impetu, stantem Fidei columnam nefario conatu proruere minitantes, cerno animo turbulentissimos populorum aestus, innocentissimorum civium sanguine redundantes civitates, impiissimis errorum monstris appetita regna, turpissimeque lacerata. Versatur mihi ante oculos eorum aspectus, atque furor, qui belluarum impotentium more per fas omne nefasque debacchantur, inusitatamque doctrinam crepantibus ubique buccis praedican-

tes liberrimas corruptelae habenas immittunt, nullum pietati, nullum pudori, nullum religioni locum relinquentes. Quamquam autem tantae malorum colluvioni mira Leonis X felicissimae recordationis dexteritate ac fortitudine, quaque licuerit via, occursum sit itum; quamquam Pauli, et Julii III, ac Pii IV, summorum sane Pontificum, cura atque sollicitudo nihil habuerit antiquitus, quam, ut collectis Tridenti Ecclesiae universae viribus hydram hanc insanientem penitus extinguerent et ablegarent, adhuc tamen eam per Germanicos fines, Suevos, Danos, Nerigos, caeterasque transalpinas regiones pervagari insolabiliter indolescimus. Atqui tanto calamitoso bello, quid funestam potissimum facem praetulerit, satis, auditores, quin heic recolam, cognoscitis: Ambitio. Quis vero ignorat et acri virum ingenio Tertullianum, et Aerium, et Ochinum episcopatus honore, quem summopere appetebant, depulsos in impudentissimos errores prolapsos esse, unaque secum innumerabilem hominum multitudinem in eamdem sententiam, atque adeo interitum pertraxisse. Jam vero Religionem ipsam audiamus, quae tantis usque affecta vulneribus ita quodammodo Ambitionem alloquens insectatur: Proripe te hinc tandem aliquando, importunissima furia, excede, evade, erumpe: tu furentissima hactenus meae pacis hostis, tu pernicies ac pestis. Quoties per te, nisi sapientissimo summi Numinis consilio ac virtute stetissem, per te, inquam, concidissem. Nullum jam tot annos scelus extitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tu non solum ad sacerrimas quasque leges atque jura negligenda, verum ad evertenda et per summam audaciam perfrin-

genda valuisti. Tibi uni caelestium et plane divinorum, quae mihi praecipua salutis atque amoris pignora unicus donavit Sponsus, thesaurorum direptio impunita fuit ac libera. Tu mihi quotidie acerbiorem dolorem inuris, quam barbari olim imperatores, ferro flammaque inusserunt: illi mihi novos furore suo filios pepererunt, tu partos e meo sinu crudelissime avertis; avertis? immo vero armatis dextris in me genitricem proh seelus! convertis: illi natorum meorum sanguine mihi vestem, qua pulchrior praenitierem, aspergebant, tu foeditate tua putidissima labe aspergis. Quamobrem discede hinc, te meae honestatis tangat gratia, tui te pudeat aliquando. Quibus optimae indulgentissimaeque parentis vocibus justisque lamentationibus si tantisper aequas aures admoveamus, si societatis, cujus causa omnia cupere debemus, si privatis nostrum ipsorum rationibus non nihil moveamur, amabo vos, auditores ornatissimi, optimique collegae, hanc adeo tetram, adeo nefandam, infestamque adeo vitiorum pestem, omni animi contentione non modo fugiamus, verum etiam e medio, qua scriptis acerrimis, qua vehementioribus e loco superiori habitis sermonibus, qua familiaribus colloquiis, prorsus tollendam connitamur. Nobiscum una saepe reputemus, non ad terrestrem, caducam istam, atque adumbratam gloriae imaginem, sed ad caelestem, solidam, atque immortalem gloriam nos conditos atque institutos esse. Videamus, quaeso, ne quod doctrinae excellentia, morumque integritate quondam praestantes homines turpissimum ac periculosissimum existimarunt, honores aucupari, nos pulcherrimum ac sanctissimum judicemus. Nec desunt

(quoniam praesentibus a domesticis exemplis movemur magis) e nostris sacerdotibus non pauci, qui majorum virtutem ac pietatem aemulantes, ad summam Religionem evangelicis praeceptis conformati, ab honoribus et appetendis et gerendis temperantiam prae se ferunt singularem. Hos igitur intueamur; horum vestigiis firmiter insistamus. Quod si exemplar illustrius quaerimus, longe ante alios omnes, multumque praestat, non auctoritate magis, quam in summis honoribus aequitate, modestiaque admiranda, Eminentissimus Dominus, nostrique studiosissimus, Xystus Riario Sfortia, cujus felicissimis auspiciis Academia isthaec regitur et gubernatur. In quo et longa generis antiquitas, et virtutum omnium nobilitas atque splendor certare secum quodammodo videntur. Illum eum in caeteris, tum maxime in gloriae contemptu sequamur, illum dies noctesque ante mentis oculos habeamus, illum pro virili parte imitari adnitamur. Dixi.

Digitized by Google

CARMINA

Digitized by Google

Digitized by Google

IN HOMERI LAUDEM

CARMEN

AB AUCTORE, DUM AVERSAE HUMANIORES LITTERAS DOCERET, ELUCUBRATUM.

Cujus ab ingenio nullum peritura per aevum
Tristia bella vigent, praeclaraque gesta virorum,
Nunc canere aggredior, Vatis de corpore litem
Urbes septem inter, simul illum vita reliquit,
Quod secum primas vitales carpserit auras.
Dexter Apollo, fave, siquidem, te judice, vanis
Compositis studiis, potiore quiescere sede
Olli posse datum est, Parnassi vertice in ipso.
Tu quoque, dulce decus Musarum, et maxime viudex,
Carminis auctorem merita redimire corona
Dum parat, adspires facilis, Durine, poetae.
Jonii princeps fulget Chios aequoris una,
Parva situ quamvis, fulicarum examine nigrans,
Artibus ingenuis quondam, bellique superba,
Nunc bombyx tantum, generosaque vina celebrant.

Digitized by Google

Huc se condiderat terrarum errore subactus,
Grataque Maeonides plectri bonus otia agebat :
Scilicet occiduo quae littora sole tepescunt,
Eoasque plagas, et dissita regna per orbem
Jam percensuerat, coecisque offusa tenebris
Divino extulerat cantu celebranda per auras.
Barbarie abducta, hinc magno se prodere cultu
Hoc primum Doctrina duce, et mansuescere mores,
Heroumque ingens virtus decorata trophaeis.
Quanta hac nocte tenus premerentur pulchra virorum
Facta ! aevi consumpta situ quam turpe jacerent,
Carmine ni vitam ille suo, lucemque dedisset.
Pergameas circum bellantûm fortiter arces
Spirat adhuc robur, magnique ferentur ab illo,
Dum rapidis invectus equis sol aethera lustrat,
Pugnae instans Nestor, vastatorque Urbis Achilles,
Par Superis hasta, Tydides optimus, ingens
Idomeneus,Sthenelusque ferox,Menelaus,Agamemnon,
Consilio hic melior, pollentes viribus ambo,
Pugnax Androgeos, Phoenix, et providus Augur
Thestorides veri, Podalirius atque Machaon,
Arte salutifera morbis infestus uterque,
Merionesque catus, Teucer, Salaminius, unde
Ambiguam tellure nova Salamina tulerunt,
Cumque Neoptolemo Palamedes iaclytus, acris
Pectoris Actorides sub imagine tutus Achillis,
Eurypylusque atrox, claroque Andremone natus,
Et Paeantiades, nec non Iphiclia proles.
Quos dum Maeonides divinis laudibus Orco
Praeripit, et laetis dat Divum accumbere mensis;
Invidia, implacata tument cui corda venenis,
Successusque hominum videt, exediturque videndo,

Pallida, tristis, iners, macie vix ossibus haeret,
Nocte dieque gemit, rabidis exercita curis,
Pestiferis alitur serpentum carnibus, iras
Colligit unde graves, et debacchatur in orbe;
At nunc insano penitus, penitusque furore
Aestuat et secum sic amens farier orsa:
Quae nostro haec rerum facies inimica coruscat
Imperio? quae bella instant metuenda? tot annos
Qui pessum tractata dabit mea sceptra repente,
Meque catenata praerepta in regna reponat
Et famam, et decus invisum? coeca obruta nocte
Gesta virûm existunt, patrius quos ardor in hostes
Per varios casus, per mille pericula adegit.
Omine jam laeto, doctis celebrata Camoenis
Attollit sese pellacis gloria Ulissis:
Quis non obstupeat, Trojae sub moenibus altis
Consilio quaecumque audentem, et robore dextrae?
Devastata suo Sarpedonis agmina ferro?
Adflictum misero cum Chersidamante Thoona
Castris inque suis Rhesum, sociosque peremptos,
Ilion et rapta tandem cum Pallade captum?
Quantum illi condent pelagi discrimina nomen
Antiphates, Sirenes, et improba saxa Charybdis,
Lumine et orbati Cyclopis atrocior ira,
Circesque infames herbae, et perfracta procorum
Ausa! hinc Penelopi accedet pars maxima laudis,
Nato cumque suo cunctis celebrabitur oris.
Invicti heu quantos Pelidae fama ciebit
Heroas! quanta e coesis succrescet Achivis,
Imperii vertat nostri quae robora, proles!
Sed quid ego haec autem nequicquam ingrata revolvo?
Quid ve moror? meritas jamdudum sumere poenas

Maeonio de Vate juvat, tam foeda malorum
Unde mali labes, primis contemptor ab annis,
Qui mihi saeva novas molitur damna per artes :
Illum ego Palladia tectum licet aegide perdam,
Et sua mox tradam laceranda volumina Cauris
Sulphure ut admoto, violentior ignis in auras,
Aere cavo inclusam cum jam comprehenderit omnem
Materiam, erumpit, laxis tum coecus habenis,
Qua via facta, ruit, lateque immania sternit
Robora, proceras moles, densasque catervas ;
Haud secus Invidiae exarsit furor ossibus imis,
Talia dum secum : rapidis velocior Euris
Inde Chion vatis tum voce, lyraque sonantem
Adpetiit, lacrymasque novo dedit icta dolore :
Jamque opus aggreditur, totum furiata per urbum
Huc volat, atque illuc, animosque accendit in illum,
Criminibus passim mores labefactat honestos,
Pauperiem exprobrat, furto sua carmina vertit,
Digna nec immensum quos vexit ad aethera virtus.
At simul Hesperium sol precipitatus in aequor
Inducit tenebras, per amica silentia noctis
Illico tecta subit cantu defessus, et annis
Qua placido curat languentia membra sopore
Moconides, non illa auro, non arte renident,
Grandis at ingenii mille argumenta coronant,
Plectra canora, styli, tabulae, doctaeque papyri,
Et coelata novem divina poemata Musis.
Haec prior Invidia arripit, et discerpta furenti
Cuncta manu rapidis spargit ludibria ventis :
Dein ipsum invadit : medicata lumina virga
Permulcet, somnum ut jaceat resolutus in altum,
Affatuque suo lethale per ossa veneuum

Injicit, et certas pallenti e sede revulsas
Pectus, et in medium pulmonem congerit herbas.
His animo exsultans repetit nota antra peractis.
Saucius ecce autem tabe adflictatur acerba
Maeonides, penitusque atro consumitur igni,
Deficiunt artus, fit creber anhelitus oris,
Torpent paullatim concreto sanguine venae,
Et jam frigus iners morientia membra pererrat,
Vitalesque vias et respiramina claudit:
Deficiente tamen, tum voce novissima fertur
Carmina concinuisse, auramque efflasse supremam.
Qualis ubi tenebris subito caput occulit ortis
Sol pallens, late terris nox incubat atra,
Delitet obscuris in nubibus abditus aether,
Et spoliata suo horrescit natura decore;
Haud aliter casu jacuit labefacta nefando
Graecia tota, simul fama pervenit ad aures,
Jamque rubescebat roseis aurora quadrigis,
Undique cum gentes concursu accedere magno
Corpus ad exanimum, moestis loca cuncta querelis
Complere, et laniare sinus, passosque capillos,
Natos ceu matres lamentarentur ademptos.
Daemones interea, queis cura fideliter artes
Mandata ingenuas, clarosque favere poetas,
Deproperant certatim Argis, Colophone, Rhodoque,
Cecropia de sede, Chii prior attamen adstat
Incola, nec Salaminiaco cum praeside Smyrneus
Abfuit. Atratae cunctis stant tempora circum
Pro lauru vittae, talos demissa sub imos
It vestis, citharaeque nihil, nisi triste, sonantes.
Principio defixi oculos moerore cadaver
Flentes adspectant singultibus interruptis;

Tum veteri de more parant suprema, decentem
Pars tumulum statuit ferales ante cupressus,
Tristi fronde super, plectrisque silentibus ornant,
Pars calidos latices unguentaque pura ministrant,
Lotum, unctumque albo decorant velamine corpus,
Thurea dona ferunt alii, ramosque virentes:
Complorata toro simul omnes membra reponunt.
Et jam tempus erat sollemnem incedere pompam
Inferrique sacro compostum rite sepulchro,
Cum subito fratres inter contentio oborta est,
Qui locus excipiat, qua mollius ossa quiescant
Terra: quisque sua magno molimine tendit.
Non secu equoreis (si quis procul audiat) undis
Exsurgit fremitus, simul improba praelia miscent
Una Eurusque, Notusque, et nimboso Africus aestu;
Talis ab illorum vario clamore resultat
Aether, turbatis justis, sine more modoque
(Tantum irae dederant) lis irrequieta calebat.
Talibus at Chius: vanis contendere verbis
Quid juvat? una ligant quos foedera amica Minervae
Indignum studiis ruere in contraria fratres.
Quaerere praestiterit nostra de lite parentem,
Judice quo aeternum sua cuique immota manebunt
Jura, nec arbitrium fas tantum tendere contra.
Vix ea fatus erat, cuncti assensere loquenti
Hellade in extrema, qua Phocidos arva, duobus
Verticibus nimbosa super mons nubila surgit,
Nomine Parnassus, vitreo quem flumine praeter
Castalis unda fluit Cygnis habitata canoris.
Ver ibi perpetuum nullo conamine dextrae
Regnat, ab horrisonis commixta grandine nimbis
Nec timet insani ferventia spicula solis:

Plurima quippe viret laurus, crispataque buxus ;
Ordine quas vario natura potentior arte
Digessit, nullisque dedit violarier Austris,
Culmina Apollo tenet solio sublimis eburno
Et cithara, et viridi frontem spectandus honore,
Aurea Pieridum, longeque horrenda profanis
Atria quaeque suis dextra, laevaque refulgent
Hic sacris: velata fides, sapientia, et alma
Cum virtute manent Charites, niveique lepores,
Mnemosyne, Mithusque adstant in jussa ministri,
Gratia tanta loco, tanta est inspersa voluptas,
Pulchrius immenso nil possit ut orbe videri.
Daemones, ingenti huc postquam subiere feretro,
Protinus insolito resonant plangore recessus,
Visus et ipse Pater lacrymis foedatus obortis ;
Concurrunt trepidae, capitisque insignia ponunt
Oscula libantes Vati bis terque Sorores ;
Tum quae causa foret Geniis illata viai,
Ut didicit, Natos inter sedet altus Apollo.
Atque ita Cecropius: quo non praestantior alter,
Nec potior quisquam hanc nobis componere litem,
Alme parens, dilecta tuis haec pignora Athenis
Assere, sic leges, sic jura sacrata reposcunt.
Quod nostra exortum est tellure, quiescat eadem:
Patria Maeonidis, de qua certamus, Athenae,
Altera nec potuit tellus proferre parentem
Doctrinae tantum, terris magis omnibus unam
Illas delegit sedem studiosa Minerva,
Cujus ab auspiciis praeclaro in carmine Ulysses
Transiit innocuus tot coeca pericula ponti :
Ipse quoque adsideat claras ad Palladis arces
Vates, extimuletque viros ad fortia facta.

Cecropium excipiens Chius sic ore profatur :
Vis magna infertur, quem fata benigna dederunt,
Quo mihi plaudebam, dum vita maneret, alumno,
Depositum abripient? furtis quid iniquius istis?
Et ne vana canam, neu sit dubitabile verum,
Certa Chii existunt causae documenta, Penates,
Dignaque progenies, et se Chium esse fatetur,
Auctoremque suum jactat morata juventus,
Quin illum ut colerent ventura in saecla nepotes,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis,
Ore notata suo pretiosa numismata fulgent.
His potiora queat si qui producere jura;
Jam carum sibi habeto caput, nos cedimus ultro,
Desierat Chius, Smyrneus sic deinde secutus :
Ingeniosa satis commenta est fabula, Phoebe,
Ut mihi praeripiant praestanti sidus honore,
Nosse quidem ipse potes, Pater alme, Meletis ad undas,
Amne fluit placido Smyrnae qui moenia praeter,
Maeonidem Nympha natum Critheide, vulgo
Inde Melesigenem plectro vicina sonantem
Mox prima Heroi mirata est carmina rupes :
Aera terit Smyrne facie praesignia Homeri :
Caetera quid referam? viventi struximus aras,
Olli thura, quibus ferremus dona quotannis.
Pallas amica meae curae mandavit alendum;
Sedulus eduxi pelagi, terraeque nefandis
Insidiis tectum, summo mihi debita jure
Pignora da, Genitor, fratrumque hinc furta coerce.
Vix bene desierat Smyrneus, Rhodioque patebant
Ora loculuro, media cum voce minatur,
Et gravis hoc litem sermone diremit Apollo :
Tantane vos tenuit malesana superbia, nati?

Vatem immortalem, summus cui debet Olympus
Semideum innumero dilata sedilia coetu,
Heroas belli fera per discrimina Mavors,
Artibus ingenuis pubem, et virtute sequaci
Oppida formatam, socialia jura Mariti
Inviolata tori, quid non debemus et ipsi ?
Ardua praecipiti rupes Parnassia clivo
Horrebat quondam, pavidoque cacumina gressu
Perpauci superare ausi, jam pervia ab illo
Nocte dieque sonat citharis celebrata canoris,
Creditis exiguam tandem tellure repostum
Condere Maeonidem vestris ex urbibus ullam ?
Templa manent meliora illum,quibus ipse, meaeque
Pierides natae sedem fixere perennem :
Marmore de pario, nitidisque onerosa smaragdis
Cultu exstructa novo hic sacris stet manibus ara,
Huc sua quaeque ferant viridanti e fronde coronas
Munera, et argutas citharas cum thure sorores
Usque novem, gemmis, auroque efficta nitenti
Nobilis urna virum cariturum mortis habeto,
Materiam sed vincat opus, pro stemmate longe
Eniteant lauru redimita aplustria, et ensis
Carmine cum mixtis signata in fronte lapillis :
« Clarorum hic vatum situs est exemplar Homerus,
« Proxima Apollineis cui plectra sonantia in alto
« Vertice Parnassi tumulum posuere decorum. »
Dixerat, Aonidumque Chorus sacra dicta probavit,
Daemones abscedunt, nil et doluere repulsam.

Digitized by Google

IN

DIVI STANISLAI KOSTKAE

LAUDEM

DUM HUMANIORIBUS LITTERIS NAVARET OPERAM EXERCITATIONIS CAUSA
AB AUCTORE ELUCUBRATUM

CARMEN

Servato, emicuit qui virginitatis honore
Mortales inter, sacris ornatus in undis
Quo fuerat, stygio frustra obnitente tyranno,
Musa mihi juvenem memora. Tua facta canenti
Tu vati, Dive, aspira, perque ardua Pindi
Culmina vix lentos nitentem dirige gressus.
Tu quoque, quo felix pastore Aversa superbit,
Dexter ades, nostroque fave, Durine, labori.
Urbs est Pannoniae extremis in finibus, undis
Quam rapidis lambit circum septemfluus Isthér;
Gradivi studiis vacat, Aonidumque juventus
Docta choros fovet, hanc patres dixere Viennam.
Huc se contulerat primaevo in flore juventae
Stanislaus exosus opes, proavitaque regna,

Digitized by Google

Artibus ingenuis operam, mentemque daturus ;
Nec minus interea superos et sacra colebat,
Bella voluptati intulerat, pectusque pudicum
Arcebat telis, ignitaque spicula amoris
Vitabat catus, atque artes, queis subdolus olli
Insidias hostis magno molimine struxit.
Ac dum Phoebus, equis in Ibero gurgite mersis,
Occuluit caput, et tenebras induxerat orbi,
Prae solito pectus flammis caelestibus ardens,
Suspendensque oculos picta mentemque tabella
(Virginis illa refert prisca sine labe parentum
Conceptae), tales effudit pectore voces :
Virginei custos virgo intemerata pudoris
Quandoquidem sunt casta tibi jam pectora cordi ,
Devoveo hunc animum ,quoque te duce,et auspice nobis
Virginitas certum est, et ineluctabile votum
Blanda voluptatum contemnere sola voluptas
Dein erit, intactumque tibi servare pudorem,
Nostraque crudeli transfigat pectora ferro
Hostilis manus, aut adigat me fulmine ad umbras
Ante fidem tibi ,quam violem,aut sacra foedera solvam.
Vix ea fatus erat, cum verba novissima Pluto
Dudum hominum gravis hostis, atrox regnator Averni
Accipiens, inquit, faciam ipse, ut perfida dicas
Sacramenta, statimque orci sis praeda rapacis,
Ipsa suo quamvis foveat, te, pectore Virgo.
Te tamen, invita perdet mea, Virgine, dextra
Protinus ad sese rabido vocat ore ministrum,
Cui cura impuris animos incendere flammis,
Taliaque huic fatur: juvenemne illudere nobis ?
Et Mariae fretum tutela incedere honore
Nativo, tumidum, indocilem juga nostra subire ?

Digitized by Google

Et quid vulgares vectari in tartara praedas
Attinet, hic unus si nos ita spernit ephebus?
I nunc militiae pars o fortissima nostrae,
Quid sit amor discat, mollique cupidinis igne
Ferveat actutum, nostro imperioque prematur.
Tum monstrum furiale alto suspiria ducens
Pectore, quidnam infit, mea cura reliquit inausum
Ut puerum ruerem indocilem cervice subacta
Ditis ferre juga, o quoties ipse ora venusta,
Deliciasque objeci animo, mea tela retorquens
Ille sagax oculos, illaesus vulnera cavit.
Aggredior quoties animi temerare pudorem
Is subolens fraudem, aut superos in vota lacessit,
Aut etiam (infandum) diris sua tergora flagris
Tundit, dumque sonant ictus, animi ipse dolore
Discrucior, nitet ille eodem puer improbus ore;
Hinc intentatum statui jam linquere, nostris
Gloria ne crescat Kostkae magis aucta ruinis.
Cui Pluto : macte o animo, et virtute satelles,
Sed non tam subito submittere tela necessum est,
In genus humanum, aeterna qui labe parentis
In vetitum semper prona jam mente feruntur
Tartarea si non valuisti perdere fraude
Insidias hominum molire, et mente revolve
Quot qualesque viros mea pridem ad signa vocarint
Ipsi homines, foret ille licet servantior aequi
Adamo, aut magnum Sampsonem viribus aequet ,
Davidicam aut stirpem superet sapientia et astu,
Ecce manus dabit, et dominanti serviet Orco,
Nostraque non humili ditabit castra trophaco.
Qua fieri id possit nostram nunc accipe mentem.
Germano cum fratre eadem sub tecta moratur

Stanislaus, comitemque viae, sociumque laboris
Paulum habet, a teneris Veneris cui castra secuto,
Spiculaque, et pharetrae, certique cupidinis arcus,
Et specula objectas oculis reddentia formas,
Conchaeque, et nardus picto de paricte pendent.
Imprimis ille aptus erit praevertere sensus
Indocilis pueri , nostris et subdere regnis ;
Eja omnes age rumpe moras, i fulminis alis
Ocior, atque ollum tanto inflammabis amore,
Haud potis ut miseras complecti pectore flammas,
Mentis inops ruat, ac furias inspiret, et ignes
A queis prima mihi ante alios cadat hostia frater.
Vix bene desierat Pluto, ac rabida ora quierant,
Tunc tenui sibi membra aptans ex aere Erynnis
Humana induitur forma, verum horrida visu est,
Ethiopas quales, aut Mauras saepe videmus;
Fumificamque facem arripuit, stygiisque caminis
Incensam nigras circum bis terque per auras
Fundae more rotans Erebeo erupit ab antro.
Nox erat, et placidos per muta silentia somnos
Corpora carpebant, longo defuncta labore,
Pannoniae tandem gelidis simul astitit oris.
Aurea tecta subit, lecto resupinus eburno
Paulus ubi stertit, somnos resolutus in altos.
Ille gravi admota tetigit, face, pectora, flammea
Mox afflat fauces, et pectus, et ora jacentis,
Affatuque suo (dictu mirabile) venae
Intumuere, ignis stygius furit ossibus imis,
Functaque mandato Acherontis regna petivit.
Aestuat interea, subitoque absumitur igne
Cor Paulus, caecum traxitque per ossa furorem
Jam rabidum sine more furit sine mente per aedes

Huc ruit, atque illuc, quo turbidus incitat ardor.
Forte subit, frater telis intactus amoris.
Quid moror ergo, inquit, saevos age sentiat ignes,
Et mea, queis fervent, minuat praecordia, flammas
Nec dum etiam Phaebus radiis perfuderat orbem,
Corripit is laeva taedam, celeresque sagittas.
Dextra tenet fustes, nodosaque retia flagrat,
Et pedibus removens obstantia limina, fratrem
Aggreditur dictis Kostkae, o infamia gentis!
« Cur veluti crimen teneros exosus amores,
« Et loca sola petens hominum consortia vitas?
« Nec quid amor, quid Hymen, quid sint connubia noris?
« Alterutra eja animo tandem sententia surgat;
« Aut quae laeva gerit tibi sume cupidinis arma
« Sub duce facturus stipendia dulcia tanto,
« Aut quae dextra tenet mea te nunc Martia tela
« Affligent.» Subito trepidantem, et multa parantem
Dicere, caelesti quod pectus fervere flamma
Praestaret, virgis, ac fustibus occupat amens.
Osque pedesque gravi contundit verbere, et armos
Jam facies livet, strident simul ossa, dolentque,
Cernere erat, fluido mixtos in sanguine dentes,
Et pectus, terramque rubenti aspergine tinctam
Viribus attritis una cum sanguine stratus,
Deposito similis jacuit puer, ille jacentem
(Vox horret narrare) incursat calcibus, atque
Hircanos nota vincit feritate leones.
Haud secus irriguo florens hyacinthus in horto
Attollit caput, et nativo ridet honore,
At simul e rigidis grando dira irruit auris,
Sternitur, et miscet pulchras in pulvere frondes;
Ut pede Virgo premat, tota quod mente stupebat.

Haud tulit ulterius nati mala tanta Maria,
Ut primum ille iterum vitales ebibit auras,
Aligerum magna circum stipante caterva,
Astitit ante oculos, claraque in luce refulsit,
Et late ambrosium caelestia corpora odorem
Effundunt, plagaeque statim, saevique dolores
Exciderunt, Virgo aurato juvenilia baltheo
Ilia praecinxit, roseoque haec insuper ore
Addidit: « Imperii puer o fidissime nostri,
« Thoracem hunc magnae signum virtutis habeto
« Forte Cupidineis, et inexpugnabile telis
« Sic tibi pectus erit, nostro tutamine freto
« Haud tibi saeva Venus, stygii haud tibi monstra nocebunt,
« Cumque breves superis gratissimus egeris annos
« Angelici pars pulchra chori fulgebis in axe,
« Quodque magis gratum est, quae in te modo saeviit, olim
« Dextra tibi fratris sacros adolebit honores. »
Dixit, et extemplo in tenues evanuit auras.

IN LAUDEM DIVAE ANNAE

AB AUCTORE DUM THEOLOGIAE DARET OPERAM EXERCITATIONIS CAUSA COMPOSITUM

CARMEN

Virginis innocuae veterum sine labe parentum,
Quam senio confecta, diuque aetate virenti
Jam sterilis, miro partu dedit Anna, tyranno
Frustra cum sociis stygio pugnante, salutem
Quae genuit mundo in vetitum sine mente ruenti,
Ortum, musa, mihi memora; tua facta canenti
Sis felix, nostroque fave, pia Virgo, labori,
Quandoquidem laudes canimus matrisque, tuasque,
Te monstrante viam, mihi Pindi tangere rupes
Fas erit, et Phaebi sacros penetrare recessus.
Est locus umbrarum medio teterrimus orbe.
Infernae hic sedes, nigri fera tecta tyranni,
Nam mediis Pluto surgit metuendus avernis
Noctipotens pater, et caeca caligine septus

Ferrea sceptra tenet, solioque innixus aheno
Terribili squalore horret, stant lumina flammis,
Canities inculta jacet, promissaque mento
Barba; caput cingunt saevi pro crinibus angues,
Brachiaque evolvit nigris praecincta colubris,
Pestifera circum foeda, taboque fluenti
Induitur palla; dirum vomit ore venenum,
Tartareas spirat latis de naribus ignes,
Anguicomae Eumenides, nataeque e nocte sorores
Assistunt, stimulantque acres ad dira tyrannum,
Huc itaque (hei miseris!) dextra, laevaque frequentum
Unius ob noxam, et priscae scelera impia matris
Dejicitur genus omne hominum, innuptaeque puellae,
Et matres, fortesque viri, juvenesque, senesque
Confertim Diti ceu gens devota ruebat,
Sicut ubi laxas ventis immittit habenas
Aeolus, et saevi certant aquilonibus austri,
Evertuntque noti circum maria omnia late,
Lapsa ruit quercus, mediis laetissima silvis,
Deciduae ad terram glomerantur turbine frondes,
Sic homines temere stygias volvuntur in undas.
Talia dum videt, ac spoliis laetatur opimis,
Audiit en Pluto Jessaeo a sanguine duci
Progeniem, stygium imperium quae perderet olim,
Tartareasque acies victricibus atterat armis,
Praeclarisque Erebi spoliaret castra trophaeis;
Haec dum flammato secum sub corde volutat
Multa putans animo, curisque ingentibus aeger
Ingentem gemitum Satanas dat pectore ab imo,
Quo tristes concussae alte tremuere cavernae,
Mox fidum ante alios rabido vocat ore ministrum,
Atque ita: «Militiae pars o fortissima nostrae,

Digitized by Google

Imperii decus, atque arctis spes maxima rebus;
Nos late quondam terrarum, Erebique potentes,
Nunc nova bella ciens solio detrudere tentat
Cui tunc, heu fortuna ! dedit vicisse sub astris,
Usque adeo hostis atrox nobis oppedit Olympus !
Quae peragenda tibi, nostram nunc accipe mentem.
Est locus (Isacidae Judam dixere parentes)
Terra vetus, mundoque suis sat cognita sacris
Anna heic, virque suus Joachim posuere penates
Dudum conjugii stabili jam lege ligati
Hinc regem late dominum, lateque potentem
Eversurum aras, regnataque templa tot annos
Progigni, optatum cunctis, jamque adfore tempus.
I hunc, et Zephyros volucri praevertere cursu,
Necte dolos, fraudesque tuas, doctissime miles,
Quippe anus Anna gravis jam aevi duodena peregit
Lustra, aliquot si adhuc sterilis permanserit annos
Impos natorum pectus mox fiet anile,
Nobisque obveniet certis victoria pennis. »
Vix ea fatus erat, celeri volat ille nigrantûm
Remigio alarum, et Judae citus adstitit oris ;
Arte sua, vinclisque nova ratione paratis
Ne prolem Anna daret partu, catus obstruit alvum,
Tartareasque potens voti remeavit in oras,
Aspexit sed enim quae de caelestibus una
Afflictis praesto est adhibere levamina rebus
Terrigenum, et longe saevos arcere labores
(Hanc proprio dicunt ελεησυν nomine Graji).
Undique collectas vectari in tartara predas,
Nec latuere doli, stygius quos struxerat hostis,
His accensa super, servansque in pectore vulnus
Jamdudum humanis statuit succurrere rebus,

Tristior hinc, lacrymisque genas suffusa Tonantem
Alloquitur: « Late terras qui numine torques,
» Omnipotens pater, et vasti dominator Olympi,
» Quando erit, ut sceleri statuas imponere finem?
» Ob patrum crimen natos tot volvere casus,
» Quos tu victuros semper, superisque creasti
» Paene pares coeli aeternos habitare penates?
» Tot poenis seri patrum commissa nepotes
» Prisca luent, cunctisne sines dominarier oris
» Qui tibi bella parat primaeva ab origine mundi?
» Servitioque gravi manuum decora alta tuarum
» Usque premi? quae te, genitor, sententia vertit?
» Jampridem certam tu nos sperare salutem
» Jussisti, tandem coelesti vindice misso;
» Nunc eadem fortuna genus gravis insectatur:
» Fac finem scelerum, et propius res aspice nostras,
» Quid possit tua dextra doce, nec saevus in aula
» Poenarum sese jactet, qui praesidet umbris.»
Olli subridens quo vel facit ore beatos
Coelicolas, hominum sator, si spes alma, salusque
Oscula fert natae, placido dein incipit ore:
« Exue Nata metus, curam hanc dimittere fas est,
» Quandoquidem genus e stygiis mortale tenebris
» Eripere est animo, et veterum finire parentum
» Aerumnas, nostram haud vertit sententia mentem
» Mene pati natos tristi succumbere letho?
» Informesque lacus, lethaeaque regna subire
» Quos ego victuros semper super astra creavi
» Aligerumque dedi sedes implere rebellum?
» Quod jam fatidico cecinerunt pectore vates
» Actutum cernes fieri, et vetus ira residet.»
Haec ait, et celerem candenti in veste ministrum

Digitized by Google

Cui nomen Michael divum pulcherrimus ora
Aurea, conspicuam circumdant sydera frontem,
Divinique fluunt almo de pectore rores,
Mandantur quoties tenues referenda per auras
Jussa Dei, visuque beat mortalia corda,
Acciri jubet, et placido sic pectore fatur :
« Interpres nostrae Michael fidissime mentis,
» Te pars militiae, te magna potentia coeli,
» Te decet ire, novae juncturum foedera pacis :
» Eja age, rumpe moras, i fulminis ocior alis
» Ima petens, cursu Solymae sacra templa revise,
» Quaeque animo nosti dudum interiore locata,
» Mox peragi debent, Joachimo cuncta referto,
» Nam Joachim pietate gravis, senioque subactus,
» Et conjux simul Anna imo suspiria corde
» Suppliciter tristes ducunt, genibusque volutant. »
Presserat ora Deus: celeri volat ille micantum
Remigio alarum, nubesque, et inania tranat,
Et dicto citius judaeis adfuit oris.
Ut Joachim ante oculos forma spectandus, et Annae
Aliger evasit, claraque in luce refulsit,
Obstupuere senes, gelidusque per ossa cucurrit
Pigra pavor, canique metu riguere capilli;
Obtutuque haerent defixi lumina in uno,
Ac prior alipotens verbis compellat amicis:
« Solvite corda metu, dudum gratissima coelo
» Pectora, en aetherea venio huc ego missus ab arce
» Ut doceam, vobis fieri rata vota precesque,
» Et versam in melius coelestis Numinis iram
» Felices inter matres felicior Anna,
» Una es, quam cuncti merito venerentur honore,
» Natura incassum, et stygio obnitente tyranno.

Digitized by Google

» Quippe insperato partu dabis ecce puellam,
» Ut fuat intacta sanctum quae Numen in alvo
» Concipiat, mirum! sine vi, sine labe pudoris
» Ipsa Dei soboles aeterno aequaeva parenti,
» Deque Deo vero verus Deus, aethere ab alto
» Delapsa, et vestrae complens pia viscera natae
» Fiet homo, humana lustrans sub imagine terras.
» Ut genus invisum Adami ditione redemptum
» Tartarea victor det coetu fulgere Divum
» Ille dabit matri vel sceptra potentia regni
» Huic Mariae cognomen erit: non dulcius isto
» Saecula ferre valent nomen, neque sanctius ulla
» Hoc quoties aderit rebus tutamen in arctis,
» Auxiliumque feret praesens, tristesque labores
» Leniet, et subito stygialia monstra fugabit.
» Quid vero haec poterit stellanti in sede locata
» Cum regina poli tractet jam sceptra Tonanti
» Proxima, et imperio terrarum cuncta gubernet?
» Quondam etiam vobis tantae tutamine natae
» Et miseros relevare, precesque audire licebit. »
Dixit, et in tenuem ex oculis evanuit auram.

Digitized by Google

CARMEN

QUOD

IN LAUDEM DIVI DOMINICI

AUCTOR EDIDIT

DUM HUMANIORES AVERSAE DOCEBET LITTERAS.

Nutantem Fidei stygio conamine sedem
Robore qui potuit certo firmare per aevum,
Undique delecta haud superum sine numine pube
Congressura Erebo coelesti fulmine vocis,
Gusmanum canere aggredior. Tu, Musa, paventis
Dirige vatis opus, sacros ut adire recessus,
Te duce, et optatam valeat contingere metam.
Tu quoque, Dive, adsis, tantisque allabere coeptis.
Urbs est Italia in media, quam flumine Tybris
Latifluo mordens rapidis devolvitur undis,
Septenasque suis circumdat moenibus arces;
Romulus e proprio dixit cognomine Romam.
Marte potens olim victricia signa per omnes
Explicuit terras late regina; sed, ipsa
Obruta mole sua, quicquid non obtinet armis,
Relligione tenet, potioraque sceptra gubernat:
Arte laborata, et regali splendida luxu
Tecta, domusque nitent hic, saxo hanc structa vetusto,

Digitized by Google

Magna opera artificum , magni monumenti laboris ,
Centum templa ornant gemmisque auroque superba:
Celsior una tamen sublimibus alta columnis ,
Materie, et gazis extremo oriente petitis ,
Quam sibi Relligio sedem magis omnibus unam
Delegit, triplicique comas circumdata serto
Et stabili subnixa Petra dat certa salutis
Gentibus hinc oracla, stygisque coërcet iniquae
Vim clauditque, viris clausumque recludit olympum.
Arce velut summa, coelesti Numine freta
Despicit inde Fides cunctis imperdita telis,
Si qua sibi cieant inimicae praelia gentes ,
Fulminibusque atris sub tartara nigra perurget :
Frustra illam petiere minae, petiere furentum
Tristia vel populis metuenda ferocibus arma ;
Frustra illam eructans per fauces mille venenum
Haeresis adgressa est, et acuto dente momordit
Improba tentamenta, dolos, monstra omnia vincens.
Hinc magis atque magis viguit decorata triumphis.
Quae simul ac secum flammanti corde volutat ,
Fletibus indulget largis ferus Arbiter Orci;
Dein jubet acciri saevos ad regia fratres
Limina , Cocyti quot habent nigra stagna nocentum
In poenas, viridesque intortos crinibus angues
Terrificas Furias, Hydras, Scyllasque biformes,
Gorgones, Harpyias foedas, flammisque Chimeras;
Infandas, visuque horrens genus omne ferarum ;
Praeterea immensum quot debacchantur in orbem
Hortantes scelera, et qui recti oblivia suadent ,
Quique hominum ludunt varia sub imagine mentes,
Nec non ventorum, tempestatumque potentes.
Buccina ut insonuit, concursu accedere magno

Hinc atque hinc stygio furialia ad ora tyranni
Agmina confuso miscentia murmure Avernum.
Sic, ubi decertant saevis Aquilonibus Austri,
Unda fremit pelagi, subitoque immurmurat aestu :
Ecce autem solio, sceptroque innixus aheno,
Talibus ille modis quaecumque ad dira paratos
Instimulat, veteremque animos accendit in iram.
« Usque adeone mei licet effera numina torpent
« Imperii ? loca senta situ, illaetabile regnum,
« Nos genus immortale, et coelo effulgere natos
« Non satis hoc habitare fuit ? tantisne subactos
« Acrumnis ignominia, turpique fatiget
« Nos probro Rex ille hominum ? qui victima nostro
« Devota imperio primum quid homuncio tandem
« Vult sibi ? num dantem famularia jussa feremus?
« Quae regnata diu per inania numina nobis
« Indocilis juga ferre stygiis modo praelia Roma
« Saeva stygi moveat, claris spolietque triumphis
« Mille per insidias per fortia facta paratis ?
« Quid non moliti, quid liquimus intentatum,
« Nunc fraudes, tectosque dolos, nunc tela cruenta
« Tractantes, nunc haereseos lethale venenum,
« Copia si qua foret toto dominarier orbe ?
« Unus at infandum ! quo praeside Roma superbit,
« Irrita cuncta ruit molimina nostra, protervis
« Datque ferenda Notis, Laterani ut fulmina torquet,
« Unde mali labes, fas hanc evertere sedem,
« Eja audete, mei fidissima pectora regni,
« Quo res summa loco, quae Erebo fortuna, videtis,
« Praecipitate moras, iraeque immittite habenas,
« Sic opus, haud opibus deerit victoria tantis.
« Qualia cum penitus jam fundamenta laborant,

« Tecta repente cadunt caecis convulsa ruinis ,
« Sede hac quassata, Fidei ruet illico moles. »
Vix bene desierat Pluto, data jussa capessit
Noctipotens manus, et rapidis velocior Euris
Diversa erumpit, coeloque potitur aperto.
Quantas fronte minas, quantum gerit ore furorem !
Nox erat, et pleno radiabat lumine Phoebe ,
Protinus at siluit foedis exterrita ab umbris.
Interea curis, gravibusque laboribus aegra,
Quo tum Rege homines, quo Romae Antistite Numen
Rite colebatur, sua curat corpora somno
Lotharius claro Comitum de sanguine cretus,
Mox facta innocui de veris nomina fractis.
Et jam dira cohors romanas attigit arces ,
Concursatque furens primum, et bacchatur in urbem
Tum fidei augustum furiata excindere Templum
Mente ruit, solidoque alii satis aere rigentes
Innumeri obsidunt portas, crebroque refringunt
Ariete pars, apicem, et fastigia summa perurgent
Parietibus, tractimque alii per culmina tignis
Incumbunt, mensas hic divum evertit et aras,
Diripit alter opes, atque auro clara micanti
Artificumque manu , nullum simulacra per aevum
Non veneranda jacent rabie divulsa furenti ,
Fundamenta petunt una , immanesque columnas
Undique flamma furit , caecus furor undique saevit.
Non secus, adversi miscent cum praelia venti ,
Turbine, et horrendis late polus ignibus ardet ,
Languescunt florum viridantia germina , et omnis
Sylva gemit verno viduata nitore, ferisque
Nutant quassa notis immania robora, quercus :
Jamque verenda Petri sedes dabat ampla ruinam,

Digitized by Google

Cum somno excutitur sacrorum Antistes, et orci
Immensas instare acies, hinc poene suprema
Fata videt templo, mentem formidine pressus
Corruit exanimus, lacrymis dein ora sinusque
Irrigat, et duplices tollens ad sidera palmas
Talia voce refert : « Summi Regnator Olympi,
« Qui Coelum, terrasque uno, qui tartara nutu
« Terrificas, quae dira premunt nos praelia tandem?
« Quae nova tempestas, cladesque miserrima rebus
« Imminet afflictis, stygio superante furore,
« An ruet actutum domus indejecta tot annos ?
« Haec promissa fides sic tradita sceptra tueris ?
« Eja age, summe parens, jurataque foedera serves,
« Et modo da nostro melius confidere regno,
« Instantes averte minas, miserere labantis
« Imperii, miserere tuae non digna ferentis
« Natae, si nostri pietas, si gratia tangat. »
Vix ea fatus erat, pia Numen vota secundat,
Virgineosque inter coetus quae fulgere in axe
Pulchrior una potest, trepidisque accurrere rebus,
Ipsam Reginam Superum, Natique parentem
Ad sese ciet, et placido sic incipit ore :
« Te, mea Nata, mei non ultima gloria Olympi,
« Cui dedimus quondam rabiem contundere Averni,
« Te decet ire, novas Laterano avertere fraudes :
« Per te exorta fides, per te reparata nitescat
« Sede immota sua, dum sol obit aethera curru
« Quae peragenda, tibi jampridem nota, capesse. »
Dixerat. Alituum magna comitante caterva,
Corripit illa viam, nubesque et inania tranat ;
Incessuque habituque patet Regina, per ambos
Astra nitent oculos, frontemque renidet ab astris

Digitized by Google

Auro intertexti crines, per colla smaragdi
Inspersi vario stant ordine, fibula vestem
Aurea quam nectit, rutilis micat aucta lapillis,
Phoeben, atque ipsum praevertit lumine Solem.
Haec ubi Romulidum tenuit jam moenia, summi
Praesidis ora subit penitus, penitusque gementis,
Talia tum fatur: « Coelo gratissime Mysta,
« Excute sollicito nimium de pectore curas.
« Jura tibi Fideique manent firmata potenti
« Numinis auxilio, nostris advertito mentem
« Dictis: Hesperia adveniet regione profectus,
« Qui sua supponat Laterano dorsa ruenti,
« Occultasque minas abigat, tristesque ruinas:
« Dominici hic nomen, divo quod fervet ab igne,
« Jure habet: ipsa novis auxi placidissima flammis,
« Praelia ut atra stygi ferat insuperabilis heros,
« Et sociam jussi tantum sibi jungere in ausum
« Delectam pubem, cui voce tonare tremenda
« Per vicos, mediasque urbes, per compita, et agros
« Confertasque datum est vitiorum agitare catervas.
« Auspice me illa maris trans aequora curret, et alpes
« Haeresi et e domita passim praeclara trophea
« Ponet, divinisque libris per saecla vigebit
« Quot laurus quantos illi debebis honores!
« Provehe tute viri tanti bonus orsa, tuoque
« Quas pugnae sistet leges, munimine firma. »
Haec ubi dicta dedit superis plaudentibus, auras
In tenues sublimis abit, coelumque revisit,
Cocytique manus ruit exturbata sub umbras,
Vastaque commotis sonuerunt antra querelis.

DE RERUM CREATIONE

ECLOGA *

PASTORES

Titirus et Daphnis

AD FONTIS AQUAS FORTE SIBI MUTUO OCCURRENTES A REBUS SPECTABILIBUS AD DEUM ASSURGUNT.

TYTIRUS

Fonte super leni, patulae sub tegmine fagi,
Si cessare libet, nostrosque levare labores,
Nunc age, Daphni, aliquid tenui meditemur avena:
Hic aptae, grataeque nimis pastoribus umbrae;
Nam Leo, et ore minax istis lupus exulat oris,
Et lenes zephyri permulcent flatibus auras,
Alituumque genus blandis concentibus implent
Turtur, et Ismarius, montisque in margine Cygnus
Dulce strepunt, dulcemque jubent mulcere cicutam.
Delicias tantas inter nos turpe silemus?

DAPHNIS

Huc calamos inflare pares, et dicere versus,
Huc etiam Tyrsis depulsas lacte capellas,

* Haec et quae sequuntur Eclogae pastorales, dedit auctor, dum humaniores litteras Aversae doceret.

Et Corydon hoedos compellere saepe solebant,
Mitia ad aeriam captantes frigora pinum :
Hic tute pascuntur oves per amoena salicta ,
Nec metuunt anguem, non hic latet anguis in herba,
Hic quoque nunc calams mens est praevertere noctem.

TYTIRUS

Hic quoniam calamis mens est praevertere noctem ,
Accipe quod facili modulatus arundine carmen,
Me nuper tacito docuit Filenus in antro :
Principium rerum Deus est et terminus idem,
Omnia sunt illius opus, mare, sidera, et orbis.
Quicquid ubique nitet, tenebris nox alta tegebat,
Obrueratque alte , quae nunc certo ordine constant
Coecus acervus erant, rudis, indigestaque moles ,
Lucis egena sua tellus, et pontus, et aer.
Vix tamen e tenebris dixit splendescere lucem
Numen, cum variis subito distincta figuris
Cuncta suum tenuere locum sortita decenter,
Jamque novus terris coepit lucescere Titan,
Et nova crescendo reparavit cornua Phoebe ,
Caeteraque astra micant liquidi per inania coeli,
Omnia sunt illius opus, mare, sidera, et orbis.

DAPHNIS.

Haec et saepe Chromis silvas resonare docebat,
Cuncta Deum laudate, Dei sunt omnia munus :
Omnis ab hoc vigor, atque omnis primordia vitae ;
Messibus hinc ager est, hinc pomis utilis arbor ,
Piscibus hinc flumen, volucri laudabilis aer.
Hinc viridi tellus duris exercita aratris
Germine floresceit, vario spectanda colore;
Hinc dulces fructus, tristesque hilarantia mentes
Vina fluunt, floretque recens hyacinthus in hortis.

TYTIRUS

Quis dedit extendi campos, subsidere valles ?
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes ?
Et nemorum saltus, atque altas in montibus umbras,
Ventorumque leves animas, nimbosque sonantes ,
Et sonitu humanas motura tonitrua mentes ?
Omnia sunt illius opus, mare, sidera, et orbis.

DAPHNIS

Aspicis ut pulchre niteat formosior annus
Vere novo, facieque hilari delectet agrestes?
Omnia tunc florent, omnis tunc ridet agellus :
Gaudia tunc miscent teneri cum matribus agni :
Dulcia ventorum tunc sibila, dulcia montis
Vertice de summo labentis murmura lymphae :
Ingeminat cantus moerens philomela sub umbra,
Ingeminant cantus circum nemus omne volucres.
Cuncta Deum laudate, Dei sunt omnia munus.

TYTIRUS

Aspicis, ut teneant jussas ab origine leges
Quaeque suas, celeri ut rapiantur sidera cursu?
Utque diem referat roseis Aurora quadrigis ?
Mane oriens Phoebus summo cum ridet in axe
Lumine perlustret sylvas, terrasque jacentes ?
Nocte sub obscura ut pecori, pecorisque migistris
Lucis egens propriae fratris de luce coruscans
Monstret iter densas inter Lucina tenebras ?
Ut currant semper spatiis aequalibus horae ?
Omnia sunt illius opus, mare, sidera, et orbis.

DAPHNIS

Spicea serta gerens avidis pergrata colonis
Muneribus Cereris vernum decus excipit aestas,
Hinc redit Autumnus dulci spectabilis uva,

Pomiferumque caput prodit per rura, per agros.
Quae cessare monet canos dein alba capillos
Obrepit glacialis hyems, nive prata rigescent,
Igne levat pastor frigus, stabulisque capellas.
Cuncta Deum laudate : Dei sunt omnia munus.

TYTIRUS

Omnia sunt illius opus, mare, sidera, et orbis.

DAPHNIS

Semina jam sileant magnum per inane coacta,
Quae nuper jactabat iners Epicurus in antro.

TYTIRUS

Pone modum, bone Daphni,suos jam rustica fines
Musa diu excessit: mapalia nostra petamus;
Solliciti quaerunt agni per ovilia matres ,
Et jam sera rubens accendit lumina vesper.
Claudamus rivos, sat enim jam prata biberunt.

DAPHNIS

Sed prius haec sylvae mandemus carmina fagis :
Cuncta Deum laudate: Dei sunt omnia munus,
Omnia sunt illius opus, mare, sidera, et orbis.

SUB VESEVI

ALLEGORICI MONTIS DAMNOSIS PABULIS

PRAVORUM LIBRORUM MALA

ECLOGA II.

PASTORES

Lycidas et Mopsus.

LYCIDAS

Qui tibi, Mopse, pecus tam pingue nitescit? alumnos
Ut binos quaeque educit, tamen ubera matres
Vix gestant distenta nimis, quae proelia secum
Jam saturi miscent agni per septa vagantes!
Sponte sua ut varios imitatur lana colores!
Quam bene cum nuper censeret ovilia Daphnis
Nostra, gravi ore minans nostris tua praetulit ipse
Heu! misera enectae macie mihi quanta capellae
Toedia sylvarum noctesque, diesque facessunt!
O felix nimium Mopsus, cui ridet amica
Fortuna, et pleno tot donat munera cornu!

MOPSUS

Quid fortuna? Deus Mopsi pia vota secundat,
Cujus ad arbitrium superique hominesque reguntur,
Quid silvae, pecudesve ferant, quid et impiger astus
Pastorum illius sine numine? rite precatus
Illi ego saepe gregis fero pinguia dona per annum,
Illi cura mei hinc pecoris, pecus ille saginat.

LYCIDAS

Me miserum! non multa Deo cadit hostia nostra
Vere manu, primos cum dat foetura gemellos?
Quot Lycidas votis Superos, precibusque lacessat,
Vos, platani, testes, pinus, vos alba ligustra;
Attamen assiduo in luctu traducere vitam,
Et resonis cogor sylvas urgere querelis,
Infanda passim pecudes dum clade laborant,
Nec tantis datur aerumnis reperire levamen.

MOPSUS

O Lycida, Lycida, tua forsan inertia cladis
Hujus causa prior, qui saepe relinquis ovile
Captus amore urbis, pastores (te latet) ipsos
Pascere oportet oves, canis ne tecta salictis
Incautis noceant herbae mala copia, et angues,
Namque venenato nunc gramine pabula abundant.

LYCIDAS

Falleris: una animo semper custodia ovilis
Mopse fuit mihi, crede, pedes, nec lumina verti
Unquam alio, canibus servo, fidisque molossis
Nocte sub obscura, cum saevior ira luporum est,
Saepius instauro caulas, ad prata Vesevi
Indicio Aegonis selecta propellere suevi.

MOPSUS

Heu! fuge pestiferas oras, fuge iniqua Vesevi

Pascua: decipiunt falso decorata colore.
Plurimus, o Lycida, latet abditus anguis in herbis
Illic, et certam gignentia toxica tabem,
Quae teneras afflictet oves oviumque magistros,
Consiliis nocuit toties qui pessimus auctor,
Aegonem, superi, tandem his avertite sylvis.

LYCIDAS

Sentio, Mopse, illuc agerem cum nempe capellas,
Visa malum hoc nobis praedicere ab ilice cornix;
Sed mens laeva fuit, causasque accusat inanes.
Tum primum ut pastas illo de monte reduxi,
Coeperunt nobis tacitis languescere morbis;
O si tangit adhuc, ut quondam gratia ruris,
Aegonem, superi, nunc praecipitate sub umbras,
Qui mihi tot clades, tot caeca pericula fecit.

MOPSUS

Triste lupus stabulis, siccis Sol igneus agris,
Arboribus grando, plena cum fronde virescunt
Tristior, at pecudi semper fuit herba Vesevi.
Haec spes Damoetae, census haec Alphoesibaei
Perdidit, indigno nunc servit uterque magistro:
Vivite felices nimium, mea cura, capellae,
Queis aliena prius satis experientia cavit.

LYCIDAS

Haud ita demessis contrarius imber aristis,
Accipiter nidis, aut cortibus improba vulpes;
Sparsa jugo ut laedunt pecudes aconitha Vesevi,
Id me ni verbis monuisset Mopsus amicis,
Ludibrium sylvis posthac, servusque fuissem.

MOPSUS

Pastores quot habet nemus, hinc secedite, vita
Dum manet, est oculis quamvis jucunda videri
Ora, obscoena lues, penitus tamen inficit illam.

LYCIDAS

Si vestri, si tangit amor gregis, inde cavete,
Artibus apta malis, pecori non gramina alendo
Proveniunt inde, haud, socii, vos fallat imago.

MOPSUS

Arcadiae Princeps, pastorum o maxime Daphni,
Haec inscribe alnis, et cautos redde magistros.

MOPSUS et LYCIDAS

Ante lupos, rabidosque canes, fugitote Vesevum.

Digitized by Google

IN LAUDEM SILENTII

ECLOGA III.

—

ARGUMENTUM

Sub avenae et silvestris cantus allegoria loquacitatis mala recensentur, et sermonis moderatio praecipitur.

—

PASTORES

Sigetes et Lalaeus.

SIGETES

Unde, Lalaee, nemus cantu fidibusque fatigas ?

LALAEUS

Has in rupe satis pastas Parnasside, septis
Clausum ago jam pecudes, et taedia longa viai
(Quod licet) agresti fallo, Sigeta, cicuta.

SIGETES

Parcius ista tamen nobis modulanda, sub antro
Ut quondam admonuit pastorum maximus ille,
Et calamos inflare, et dicere rura Palaemon :
Tempore cuncta suo peragi namque ipse jubebat ;
Cantibus haud unis, haud uni instare cicutae :
At sacrata diu celebrare silentia , ruri
Gratius adveniat meditatum carmen ut inde.

LALAEUS

Difficili haec, Sigeta, seni servanda relinque,
Et nos, dum vires, dum vox viget, usque canamus;
Dulcis avena mihi, sunt et mihi carmina, dulces
Deliciae, unde decus semper pastoribus ingens.
Vin, positis his antra colam, tacitosque recessus?

SIGETES

Dulce quidem fateor silvas resonare, Lalaee,
Sed si saepe strepunt, parvi ducuntur avenae,
Optima quippe solent rarissima quaeque putari:
Quae non mala nitent passim, meliora feruntur,
Mollius et cantant, quae tantum vere volucres:
Hic quoque pluris erat, cum cantus rarior olim.

LALAEUS

Quicquid id est, ubi cuncta suo noctesque, diesque
Ore sonant, nostraeque cient modulamina vocis,
Hic ego turpe silere putem: quis Cinthia pleno
Cum nitet orbe, altus vel cum sol ridet olimpo
Abstineat cantu? quis humum seu laeta ferentem
Munera, seu cinctam taceat florente corona?
Grata quis excipiat resonantis murmura rivi
Obliqui, trepidare fugax cum limpha laborat,
Coetera quis circum videat miracula ruris,
Cujus ab aspectu balantes laetius agni
Exsiliunt, ducuntque novas per prata choreas,
Et sectetur iners ingrata silentia silvis?

SIGETES

Ne rerum haec hilaris te fallat imago, Lalaee,
Non idem namque est semper color omnibus, almo
Gramine quae micuit vernantem terra per annum,
Mox riget alta gelu, primo viduata nitore:
Pulchrior effulget Phoebo, sed inhorret ab austris

Cum polus horrisonis, illo nil tristius unquam,
Inde novo prodit post improba nubila cultu.
Tu quoque temporibus servire hinc disce, vicesque
Per varias justo miscere silentia cantu.

LALAEUS

Haud ita: namque agitant tristes vel pectora curae,
Optima vel cedant mihi cuncta, Sigeta, Camenae
Silvestres medicina malis; vanescit in auras
Carmine, qui mentem dolor intus atrocior urget;
Objecto veluti gravius furit aggere torrens;
Rebus et in laetis canere o quae grata voluptas!
Hinc abeant tristes subitura silentia rupes,
Et nos dum vires, dum vox viget, usque canamus.

SIGETES

Sed non instat opus (nescis) pastoribus unum:
Pascere oportet oves, potum deducere pastas,
Et salices metere, ac densas decidere frondes,
Ubera quo distenta gerant ad mulctra capellae,
Mane Aurora polo cum jam dimoverit umbras;
Praeterea certis fluvio mersare diebus;
Tristis nam pecori scabies defenditur undis;
Instaurare decet caulas, arcere luporum
Insidias, pastorum haec munera sacra, Lalaee:
Cantibus haud unis, haud uni instare cicutae.

LALAEUS

Haec alii videant, sortitis rura magistris
Nobilior nobis pars est mandata, cicuta
Omnibus huic missis noctuque instabo, diuque,
Hac mulcebo pecus, silvasque sonare docebo:
Dulcis avena mihi, sunt et mihi carmina, dulces
Deliciae, unde decus quondam pastoribus ingens.

SIGETES

Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Usque modum servare fuit, cum coeca cupido
Te cantus habeat, sis ipse loquacior aequo
(Quo pejus nihil est) vereor, vesane Lalaee :
Pastores inter saepe hinc discordia coepit,
Et gregis immemores furiis succendit iniquis.
Mirum quot Mopsos haec stulta silentia, et alto
Robore pollentes Damoetas perdidit ante !
Qua foeda silvam, qua infecit carmina labe
Numinis haud priscam spirantia carmina amorem
Cumque profana sonent, parvi ducuntur avenae
Quo tamen abripior ? pravos quicumque sequetur ,
Pravus et ex templo fiet, dedit esse loquacem
Sigetem cantu nimius, fidibusque Lalaeus.
Jamdudum valeas, mihi dulce silere, Lalaee.

IN

HUMANI GENERIS SALVATORIS ANASTASIN

ECLOGA IV.

ARGUMENTUM

Moeri et Elpino sibi forte occurrentibus, et de Pimenis a monstris laniati acerbo funere conquerentibus, advenit Alexis, eumque divina virtute redivivum nuntiat, subita inde gratulatio.

Per Moerin divum Petrum, per Elpinum alium Christi discipulum, per Pimenam et monstra CHRISTUM Καθ'Εξοχὴν Pastorem, et Judaeos, per Alexin denique divum Joannem divinae anastasis jam conscium oportet intelligi.

MOERIS

Unde, Elpine, mihi prae cunctis carior unus?
Qua pecus, et Thyrsis, qua coetera turba pererrat
Pastorum ? quid ab Urbe novi, campisve reportas,
Quod saevas animi valent detergere curas ?
Nam simul heu ! toto laniatum corpore ruri
Pimena mors rapuit, tantus dolor ossibus imis
Exarsit, quantus solet exercere colonos,
Cum summo de monte amnis ruit imbribus auctus,
Praecipitatque undis sata laeta, boumque labores ;
Et lacrymis animum, sylvas, lucemque perosus
Hactenus incassum studui lenire sub antro.

ELPINUS

Oh, si Moeri, meo tacito sub pectore poenas
Cernere nunc quires, nihil ipse dolere putares :

Quid sata divino cum Pimene ? sidera quantum
Excellunt terras, supereminet omnia Pimen :
Durior ah saxis, monstrisque ferocior ipsis
Est, siccis oculis, qui funera tanta videre,
Et meminisse potest, magnis concussa ruinis
Quae tellus doluit, doluit sol abditus umbris ;
Ipsaque, cum tristi satiata a caede rediret,
Effera vis etiam visa est doluisse luporum :
Ruris deliciae, ruris qui sola voluptas,
Praesidiumque olim, nunc funere stratus acerbo
Ruris et immensi tu, Pimen, causa doloris.
Nimbosus veluti cum proelia suscitat Auster,
Caeca horret nocte et crebro polus igne coruscat,
Nubibus abruptis grando dein ingruit atra,
Protinus aufugiunt, tutasque a turbine rupes
Pastores subeunt trepidi, dispersus oberrat
Grex ovium passim, nullo cogente, per agros,
Sternuntur segetes, vernantum et gloria florum
Ut pigeat! haec, Moeri, est nemoris tristissima imago.

MOERIS

Vincite et irriguos lacrymis, mea lumina, fontes:
Has absens lacrymas sibi Pimen jure reposcit
Pastorum princeps, uno quo cuncta manebant
Tuta satis, quo abeunte, agris decus omne recessit.
Otia quanta bonus Pimen, quanta otia fecit!
Aurea saecla iterum nobis rediere per illum ;
Nec pecus insidias vicino e monte luporum,
Nec tristes herbas, illo servante, pavebat.
Quae pietas animi, quae rara potentia dextrae !
Ore beans homines quae divo gratia sedit :
Ah ! quoties nutu disjecit nubila coelo,
Vocis ut imperio vesana hinc monstra fugavit

Unguibus, et rabido frustra minitantia victu.
Quot bona praeripuit nobis mors invida in uno!

ELPINUS

Vincite plorando, mea lumina, et aequoris undas:
Pimen abest sylvis, quo nil felicius unquam
Vel tellus sensit, vel misit Numen Olympo;
Pastorum pater ille nova mulcere cicuta,
Et pastas docuit per pascua laeta capellas
Ad plenum manante sitim restinguere rivo.
Aeternum pereant tantum quae monstra necarunt
Pastorem, monstris lanientur saevius ipsa.

MOERIS

Haud ullum servate modum, mea lumina, flendi:
Pimenis usque boni dum pectore imago recursat,
Hos amor, hos pietas luctus, hos gratia debent.

ELPINUS

Nocte dieque nemus moestis implebo querelis.
Ast o quae dextro properat per inane volatu,
Quid laeti divina mihi denuntiat ales?
Pimena num virtute Dei post funera vivum?
Nunc memini, dulci quod saepe docebat avena
Ipse, quod in fagi descripsit cortice carmen:
Dura licet mihi mors dissolvat membra, refecta
Pulchrius illa quidem lux orbi tertia reddet.

MOERIS

Ore suo pendens etiam saepe auribus hausi
Talia dicta meis, auditaque mente notavi.

ALEXIS

Eja agite, o socii, curas hinc pellite amaras,
Spargite narcisso, violis loca cuncta, rosisque,
Et calamos inflate leves, et vertite cantus:
Pimen io vivit, devicta morte, triumphans

Monstrorum victor, Rex nobis Pimen in agris:
Haec arbusta sonent, montes, haec carmina rupes.

ELPINUS

O quae grata refers! superat mea vota voluptas,
Talibus auditis, rerum dulcissime Alexi,
O quam laeta dies, quae gaudia nostra redonas
Pimena, quam doctis cantari es digna camoenis!

MOERIS

Fortunate nimis, vidisti Pimena forsan
Ipse, vel e sociis aliquis tibi dixit, Alexi?

ALEXIS

Vidi egomet, dictisque bonus me leniit aegrum.

MOERIS

At tibi qua visus, qua Pimen parte vagatur
Ede simul, tandemque atris nos eripe curis.

MOERIS

Haud ignarus, agros quod Pimen saepe docebat:
Dura licet mihi mors dissolvat membra, refecta
Pulchrius illa quidem lux orbi tertia reddet.
Tertia nondum aurora polo dimoverat umbras,
Cum monumentum adii, quo molliter ipse quierat.
Amotum inveni lapidem, supraque sedentem
Terrificum Aligerum nivea sub veste, ministros
Pimenis ad nutum quos saepe aspeximus ante,
Aethereoque locum horrentem fulgore, metuque
Obstupui, subitoque gelu riguere capilli,
Tunc revocans animum placido sic Aliger ore:
« Nostros ne paveas vultus, quem pectore quaeris
Sollicito, hinc abiit redivivus, et integer atrae
Mortis, deproperans Galilaeas cessit in oras. »
His ego dum redeo erectus sese obtulit ultro
Extemplo Pimen, tantaque in luce refulsit

Digitized by Google

Qua se olim nobis procero in vertice Thabor
Attonitis mentem divo dedit ore videndum!

MOERIS

O quae prodigiis priscis majora feruntur!
Numinis haec tantum, nostro est in Pimene numen.

ELPINUS

Carpite securae pecudes, jam carpite campos
Montesve intonsos, quacumque erratis in ora,
Nec paveatis apros, neque saevos nocte leones,
Monstrorum domitor nam regnat Pimen in agris.

MOERIS

In freta dum fluvii current, dum flore renidet
Vere novo tellus, dum accendit lumina Phoebus,
Te, numenque tuum tollent ad sidera, Pimen,
Pastorum pia turba tuo sat numine tuta.

ELPINUS

Jam ridete hyemem, tigres ridete, luposque,
Millia si surgunt, pecudes, vos praelia contra
State: animis Pimen dabit ipse in praelia vires.

ALEXIS

Cantibus his alias, victricis praemia frontis
Nunc lecta e lauro lectisque e floribus Olli
Serta feramus, io concordi voce canentes
Personet omne nemus, strepitu hoc nemus omne resultet:
Pimen io vivit, devicta morte, triumphans
Monstrorum victor, Rex nobis Pimen in agris.

ECLOGA V.

—

ARGUMENTUM

Sub allegoria LUPI a Menalca interfecti intelligitur IDOLOLATRIA, quam CHRISTUS destruxit.

—

PASTORES

Mopsus, et **Corydon**, deinde **Menalcas**.

MOPSUS

O quam jucundum pastores inter amicos,
Dum lenti recubant patulae sub tegmine fagi,
Alternis tenui modulari carmina avena !
Quid vetat hic, Corydon, dum nos tegit arbutus umbra,
Me calamos inflare leves, te dicere versus ?
Nec te sollicitum faciant, tua cura, capellae,
Dum neque gramen abest, nec potus deerit ovili.
En mollem muscum, labentem en aspice rivum.
Incipe jam, Corydon, dabit et mea tibia versus,
Quos praesens legat, et veniens mirabitur aetas.

CORYDON

O nimium felix ; quem nulla pericula versant !
Infelix Corydon, quod curis pascitur atris.

Digitized by Google

MOPSUS

Quid ? Quibus aerumnis miser afflictaris iniquis ?
Quodve tua exercet curarum pectora pondus ?

CORYDON

Heu qualem quantumque jubes renovare dolorem !
Mopse, vale, valeant silvae, valeantque capellae;
Nil mihi vobiscum est; iterumque, iterumque valete;
Et prius absorbens mare me submergat in undis,
Immanisve lupi, vel fiam praeda leonis,
Quam silvas repetam invisas, nemorumque recessus:
Aeternum valeant dixi, aeternumque valebunt.

MOPSUS

Quid sibi vult istud ? quae te dementia cepit ?
Ne fugias, Corydon, sed mecum siste parumper,
Et mihi cuncta refer : minuunt nam verba dolorem.

CORYDON

Triste lupus stabulis loca cuncta ululatibus implet :
Nocte dieque meo insidias molitur ovili.
Nec sinit in silvis timidas errare capellas.
Acrior, ut cepit rabies, venit ore minaci,
Exitiumque meis violentus ovilibus infert.
Ipse ego pertimui suffusum lumina flammis,
Faucibus horrendum, crassoque cruore fluentem.
Me miserum! vereorque locum, dominumque timendum.

MOPSUS

Desine plura queri, atque animo depellito curas :
Me quoque sors eadem lacrymoso funere mersit,
Cum dolui abstractos teneros e matribus agnos ,
Et lupus hos rapuit rictu metuendus, et ore :
Occidit ille tamen, nec spes manet ulla nocendi.
Et qui jam properat, monstrum lethale cecidit
Illum audi breviter, si vis cognoscere verum.

MENALCAS

Heu quae segnis adhuc tenuit sub tegmine fagi,
Vos, mora, pastores ? juvat ire, et mollibus auras
Praestabit mulcere modis, dum candida fulget
Jam nitido sub sole dies : vos dulcia rura,
Nos habeant colles : juvat ire, et quaerere fontes.

MOPSUS

Ipse sequar vires ultra, sortemque senectae.
At forsan Corydon nobis comes esse recusat,
Namque locum, dominumque loci formidat, et horret.

MENALCAS

Quid ? nescis, Corydon, quae fecimus otia ruri ?
Bellua saeva jacet manibus prostrata Menalcae.

CORYDON

O quae grata refers ! melius res ordine pande.

MENALCAS

Ore rapax, oculisque furens, et faucibus horrens
Venerat : insidiis lupus excepturus ovile
Tunc ego nodosae munitus robore clavae
Fortis in adversum occurri, torvumque tuenti
Exitiale dedi vulnus ; cadit ille, vomitque
Semesam praedam, saniemque per ora cruentam.
Sic jacet exanguis sicca dejectus arena
Silvarum qui terror erat : venere coloni,
Pastores venere, feram videre jacentem.

CORYDON

Quam bene, Mopse, tuis respondent nomina dictis !
Nunc juvat alternis laudes cecinisse Menalcae.
Heu quantus pastor ! quem non debemus amorem ?

MOPSUS

Incipe jam, Corydon, verum brevis esse memento,
Nam sol oceano ruit, et mapalia fumant.

Digitized by Google

CORYDON

Ramus ut arboribus decori est, ut montibus arbor,
Vallibus ut rigui fontes, ut fontibus umbrae :
Sic honor est silvis, nobis decus omne Menalcas.

MOPSUS

Grata thymus volucri, florentia rura capellis,
Lenta salix pecori, foeta agnis ubera lacte:
Gratior at nobis resonat tua fama, Menalcas.

CORYDON

Te duce mane pecus, Corydon compellet in unum;
Sic unus pastor, sic unum fiet ovile.

MOPSUS

Et cum vesper adest, Mopsus quoque claudet in uno;
Sic unus pastor, sic unum fiet ovile.

MENALCAS

Sit cecinisse satis, maneatque hoc mente repostum :
Quisquis oves pascet mecum, nihil ipse timebit;
At procul erranti non est spes ulla salutis.

ECLOGA VI.

—

ARGUMENTUM

Sub SYLVARUM allegoria SEMINARIORUM commoda et damna.

—

PASTORES

Thaumites primum sylvas ingrediens, et **Logisthus** jamdiu eisdem assuetus.

THAUMITES

O quam jucundum est, pastores inter amicos
Tristibus a curis, quibus afflictantur in urbe
Mortales alii, sylvas habitare repostas!
Hinc livor caecique doli, hinc fraus exsulat omnis;
At late pax alma viget, rectumque, fidesque.
Ut nitet hîc virtus sedem sibi nacta decentem,
Legibus apta suis ut rident singula, rerum
O quae oculis facies occurrit pulchra videri!
Irrigui fontes, quos ambit plurima fagus,
Pergratam faciens pecori et pastoribus umbram,
Ridenti circum vestiti gramine campi,
Et dulces volucrum cantus, zephyrique tepentes.
O utinam liceat strepitumque, urbesque peroso

Digitized by Google

Felicem nimium in sylvis mihi ducere vitam.

LOGISTHUS

Laudibus immeritis jam coelo tollere parce
Rura bonus Thaumita, latentque damna sub illis
Si nosses, animum caperet nec stulta cupido.
Ecquid habent latebras praeter ploratibus aptas ;
Omnia plena metu, quin omnia plena labore.
Optarim quoties illis vale dicere, testes
Dicite vos pinus, coryli, vos alba ligustra.

THAUMITES

Quid, Logisthe, refers ? quae te dementia cepit ?
Mollia tu ruris parvi sic otia pendis ,
Cujus ab aspectu gemmisque, auroque superba
Protinus ipsa mihi sordent vel tecta tyrannùm
Daphnin idem, Licydamquo levi cecinisse cicuta
Saepe ferunt solitos fagisque incidere et ornis.

LOGISTHUS

Falleris heu ! quantum, nimium ne crede colori,
Thaumita ; in pejus nunc omnia versa dolerent
Huc Daphnis, Licydasque, iterum si forte redirent.

THAUMITES

Quae nova ! at unde mali labes haec tristis, amico
Ede mihi tandem, ne mens incerta laboret.

LOGISTHUS

Intulerunt sese campis, avidissima caedis,
Improba monstra, gregem noctesque diesque pererrant,
Insidiasque struunt, et fata miserrima miscent.
Hei mihi ! quot nuper lectos cum matribus agnos
Unguibus abreptos me confecere vidente !
Nec minus atra nocet serpentum copia, quae
Laeta salicta inter latitant mala gramina passim.
Hinc turpi languent macie, et vix ossibus haerent,

Digitized by Google

Uberaque ad mulctras gestant siccata capellae.
Toedia quanta premunt, quantis obnoxia curis
Arva diu ! exoptat quisquis sibi talia, laevus.

THAUMITES

Sed quid Damoetas nullo non tempore dextrae
Robore spectatus, cunctis quid et ipse Menalcas ?
Quid vis fida canum ? quid certa piacula, serpens
Saepe quibus, fallax quibus occidit herba veneni ?

LOGISTHUS

Multa manu fortis, telisque instructus acutis
Damoetas, clava confixit plura Menalcas
Monstra, alia exagitans hinc longius egit in unques
Arrecta, et rabido frustra minitantia rictu,
Multa tamen superant dira feritate magistros,
Davidem praestent, validum aut Samsona licebit.
Sunt et adhuc visu quae fallant blanda lyciscas
Hem ! nil nunc prosunt ovibus praesentia quondam
Serpentes contra, coecas medicamina et herbas.
Aegrae quin sese laeduntque, nocentque vicissim,
Foedasque ingeminant sua per contagia clades
Serpit uti, integros cancer labefactat et artus.
O ! ita si perget status hic, quo deinde ruemus ?

THAUMITES

Dura quidem haec fateor, madidisque per arva, per agros
Usque dolenda oculis, tenui sed posse cicuta,
Carminibusque atras curas diffundere in auras
Suave est, et fagi sylvas vel dicere ad umbram,
Vel superos, pecori vel qui sit cultus alendo :
Sic nati subito praerepti funere Moeris
Argutis resonans calamis sua damna levabat ;
Summo sic pendens ramo Philomela canendo
Amissos queritur foetus, lenitque dolorem.

Digitized by Google

LOGISTHUS

Dum mala saeva gravant, nescit distenta levari
Mens, nulla hic noster dolor est medicabilis arte
Dulcis arundo alias, animo nunc vana dolenti
Heus intacta silet, cessant quoque carmina: sandyx
Utilis est pecudi, sol agris utilis, aegrae
Nec sandyx pecudi, neque siccis utilis agris
Sol... verum taceamus, adest gravis ore Palaemon :
Forsan et excepit per caeca silentia litem.

PALAEMON

Quid gregis immemores vos jurgia tanta morantur ?
Cogite oves, pastas septisque includite caulis.
Axis ab ardenti circum dum percalet aestu
Non est de sylvis vestrum contendere ; amabo,
Credite, Pastores, primis huc missus ab annis,
Qui jam multa senex transegi lustra beatus.
Sunt mala rura malis, bona qui recte utitur illis ;
Et serpens, et apis florem pascuntur eumdem,
Nigra venena alter, trahit altera mella sed inde.

Digitized by Google

ECLOGA VII.

ARCADIAE LAUDES

—

PASTORES

Tyrsis et **Corydon.**

TYRSIS

Quae te longa satis mora nostro abduxit ovili,
Dulcis amor, Corydon ? quibus es distentus acerbis
Casibus, immemorem vel quae te littora nostri
Deliciis peramoena suis remorata canendo ?

CORYDON

Arcadiae colles claris quos fama per orbem
Laudibus extulerat, visendi magna cupido
Me quoque, Tyrsi, habuit : perpesso dura viai
Toedia cum licuit tandem contingere, et inter
Pastores illic meliori sorte beatos
Arte nova inflexas audire, et reddere voces,
Haud piguit coepti, tanta est injecta voluptas.
Quam reor ipse probes, causa haec illata morandi.
10

Digitized by Google

TYRSIS

Projectus viridi puero mihi saepe sub umbra
Arcadiae decus, et felicia rura Menalcas
Mulcebat referens mira dulcedine mentem :
At nunc inde ferunt veteres cessisse cicutas,
Quae nomen, laudesque illi peperere superbas.

CORYDON

Falleris heu quantum l calamos conjungere cera
Qui prior instituit, modulari et carmen avena
Pastores docuit, Pani stat amica tueri
Arcadiae arva diu, restat, mihi crede, vetustum
Numen ibi, et virtus : soli cantare periti
Arcades argutis implent concentibus auras
Nec minus et subitos ludunt cum ex tempore versus:
Si semel audires, nostros, bone Tyrsi, putares
Pastores raucas imitari voce cicadas.
Vidi egomet, lyncas posita feritate canentem
Mirari Arcadiam, solitos cohibentia cursus
Flumina, et immemores cytisi per rura capellas.

TYRSIS

O quae grata refers, Corydon, miracula musae
Arcadicae ? illius quis non teneatur amore ?
Haud aliter suevit mihi dicere saepe Menalcas
Orphea pastorem plectro traxisse canoro
Attonitas temere tigres, silvasque sequentes.
Tantum adeo, Arcadias mentem excoluisse per artes
Praestat, et a prima cytharas pulsasse juventa.

CORYDON

Quod tu, Tyrsi, probas multos vidi ipse secutos,
Qui juxta irriguas Tiberini fluminis undas
Lanigeras servant pecudes. Hi praepete cursu
Deseruere greges, patriam ac laetissima terrae

Digitized by Google

Pascua, et Adriacum transvecti navibus aequor
Arcadiae petiere casas, mox digna sub illis
Condiderunt meritis famae monumenta perennis ;
Tytirus hinc claret, tenui modulatus avena
Carmina qui cecinit, dein arma horrentia Martis :
Pausylipi colles, et florida Mergelline
Sincerum jactant, qui pinguia pabula, et actas
Dulcisonis lusit calamis, tibi, Tytire, Musa
Proximus ut tumulo, nostris celebratus et oris
O felix, cui sorte datum coluisse Camoenas !

TYRSIS

At nos quid, Corydon, tantum consumimus horae
Externae semper memorando encomia laudis ?
Aspice qua nosmet juvenum florente corona
Cingimur, Arcadiae cepit quos aemulus ardor
Et calamos inflare leves, et dicere versus :
Aspice quam dulci resonantes voce magistri
Deliciae ruris crescant, et ad aethera surgant.

CORYDON

Scilicet Arcadiae possent celebrare recessus.
At si tanta viget juvenili in pectore virtus,
Quid veniens firmata viros cum fecerit aetas ?
Oh quam nos laevi ! contemnere nostra solemus,
Externisque rapi : potior sententia menti
Ecce subit, crescentes hos ornare poetas,
Atque novos animis stimulos super addere laude.

TYRSIS

Hoc mihi consilium arridet : si fronde capella,
Si puer a nucibus capitur, si retibus ales,
Fervida tanguntur juvenum praecordia laude.

CORYDON

O patriae columen, juvenes, o cura parentum

Digitized by Google

Dulcis, apollineas totis conatibus artes
Urgete, usque sonent vestris concentibus agri.

TYRSIS

Ut flores apibus grati, pastoribus umbrae,
Ut sopor est fessis, et turris grata columbis,
Carmina sic nobis vestri gratissima plectri.

CORYDON

Ut segetes decori campis, ut cornua tauro,
Ut barba est capro, ducenti ut virga bubulco,
Sic decori vobis sit dulcis fistula semper.

TYRSIS

Ut salices inter consurgit vertice pinus,
Ut superat quercus frutices, humilesque myricas,
Gloria vestra viget cunctis sic major in arvis.

Digitized by Google

ECLOGA VIII.

LYCORIS

—

ARGUMENTUM

Mopsus occurrentem sibi forte Moerin ad canendum invitat; hic de Lycoridis damnis Silvas amore sui adulterantis conqueritur; dein idem argumentum uterque prosequitur. Per Lycorida Amario allegorice designatur.

MOPSUS

Salve, Moeri, decus ruris, pecorisque voluptas :
Opportunus ades, dum rident omnia circum
Vere novo, nostramque jubent resonare cicutam.
Cernis ut exultant laetae per prata capellae?
Ut zephyris mollita hilari sonat aura volucrum
Concentu, lenique strepit cum murmure rivus?
Terra viret, frondent colles, et pulchrior axe
Phoebus: tanta inter nos gaudia turpe silemus,
Eja age, si quid habes, tenui ludamus avena.

MOERIS

Quae te, Mopse, capit, pulcherrima ruris imago,
Me premit, et curis animum mordacibus angit,
Invitumque adigit justo indulgere dolori.

Digitized by Google

MOPSUS

Quam bene, Moeri, tuis respondent nomina factis
Moeres usque, Deus cum dulcia fecerit agris
Otia securis, calamos, frugesque secundet,
Et facilis tutetur oves, oviumque magistros,
Parce supervacuis silvas turbare querelis.

MOERIS

O mens laeva hominum! quas nocte, dieque Lycoris,
Pastorum illa lues, vesano turbat amore,
Ipse supervacuis dicar turbare querelis.
Quantam agris cladem, quantam inferat illa capellis,
Vos, coryli, testes, pinus, humilesque myricae.
Illa canes, Damoetas adulterat, illa cicutas.
Illius illecebris, censu jam turpiter somni
Amisso, Lycidas duro parere magistro
Cogitur, et totis ridetur fabula campis.

MOPSUS

Jure doles: memini projectus ad ilicis umbram
Munia Pastoris fido cum me ore Palaemon
Edocuit puerum, prae cunctis saepe monebat :
« Si cupis incolumem, si tutam hic degere vitam,
» Mopse, cave rabido cane pejus et angue Lycorim
» Neu te decipiat, mentitis quippe renidet
» Blanditiis. Illam potes hinc cognoscere tuto :
» Nuda pedes, fucata genus, implexa capillos
» Incedit, laevam distinguit opia cornu
» Divite: sed rerum nimius ne crede colori ;
» Horrida in incautos manat seges inde malorum. »
Haec ego dicta memor tenui alta mente reposta,
Praeque lupis invisa mihi est metuenda Lycoris,
Et nemoris (fateor) semper cessare labores.

Digitized by Google

MOERIS

Illam tanta suae male sana superbia formae
Occupat, ut quondam superare aggressa sit ipsum
Pimena, pastorum quo principe silva superbit,
Protinus at sola tremefactum voce fugavit
Pimen, et immanes ad rupes victor abegit,
Exemploque suos majori robore cinxit ;
At nunc quot silvis fraudes molitur iniquas,
Quot sibi pastores gaudet parere Lycoris !
Illa canes, Damoetas adulterat, illa cicutas.

MOPSUS

Si Mopsi excipitis pacato munera vultu
Quae fero, prima dedit cum jam fetura gemellos,
O superi, talem Mopso defendite tabem,
Et prius hanc vitam nigras detrudite ad umbras,
Quam misero captum praevertat amore Lycoris.

MOERIS

Quid juvat aut lectas distringere ab arbore frondes,
Aut pecudes, floret quo laetior herba salicti
Pellere, vel fluvio pastas mersare salubri?
Quid pecori curas alias impendere, cuncta
Inficit haec, mandatque austris rapienda Lycoris :
Ista canes, Damoetas adulterat, ista cicutas.

MOPSUS

Triste lupus stabulis, et cortibus improba vulpes:
Tristior incautis pastoribus atra Lycoris ;
Diripit haec agnos, haec matribus ubera siccat.

MOERIS

Milvius alitibus, viti est damnosa capella:
Majus at exitium silvis perjura Lycoris;
Illa herbas, Damoetas adulterat, illa cicutas.

Digitized by Google

MOPSUS

Robigo segetes, solis vis acrior urit
Nascentes gemmas, pejor tamen una Lycoris
Corrumpit teneros oculis cum matribus agnos.

MOERIS

Ut fructus nebulae, canas ut nimbus aristas,
Afflictat pecudes una sylvasque Lycoris:
Illa canes, Damoetas adulterat, illa cicutas.

MOPSUS

Si cupitis, nemoris procedant omnia recte,
Pastores, celeri fugitote Lycorida gressu.

MOERIS

Dulce decus silvae pastorum gloria, Daphni,
Vis bene provisum pecori? hinc averte Lycorim.

Digitized by Google

URANIUS

ECLOGA IX.

IN OBITU CLARISSIMI VIRI CAJETANI DE FULGURE CATHEDRALIS ECCLESIAE AVERSAE CANONICI ET SEMINARII STUDIORUM PRAEFECTI

—

PASTORES

Meliboeus et **Mopsus**.

MELIBOEUS

Que te distinuit mora tanta hinc, Mopse, capellis
Non bene desertis, aliena per arva vagantem ?
Jam bis sena nemus radiis aurora retexit,
Ex quo te miseris inclamant questubus agni.
Mollia securus sectabitur otia Mopsus,
Dum gregis hic noctes tenet anxia cura, diesque
Pastores alios, versantque immitia fata ?

MOPSUS

Parce queri, Meliboee, morae dispendia parce
Objurgare brevis, jampridem debita dulci
Et patriae, et duro confectis ante labore
Viribus, ut tentus semper confringitur arcus,
Irrequieta negant ut fruges arva colono;
Sic animus, recreant quem nulla levamina, languet :
Incustoditas nec dulces ipse capellas
Deserui, accepit servandas Tityrus, agris
Quos peterent pastum fido prius ore notatis.

Digitized by Google

At vos quae tandem sors urget iniqua ? gravemne
Tabem ovium, monstrorum an tristia damna doletis ?

MELIBOEUS

Lenius ista quidem ferremus funera, quamquam
Dura nimis, majus sed hiat sub pectore vulnus,
Cui nullae poterunt herbaeve, artesve mederi.

MOPSUS

Quidquid id est jam fare bonus, Meliboee, roganti.

MELIBOEUS

Arcadia in tota quo non praestantior alter,
Uranius periit, divino numine pollens
Qui superum huc nobis ceu missus ab arce levabat
Divinis pecudes calamis, pecudumque magistros.
Saepe sinistra mihi praedixit ab ilice cornix
Grande malum hoc, tristemque dedit quae dissona cantum
Fistula praedixit; tanto Pastore superba
Nempe quod illa prius posthac sine honore jacebit.

MOPSUS

Hoc erat, hoc totas quod me terrentia noctes
Somnia jactarent, quod mens aegresceret, almi
Cum Coeli nitor, et veris gestire juberet
Gratia: me miserum quanto viduata repente
Sylva decore gemit; dryades lugete puellae,
Uranius periit, quis dulcia carmina nobis
Dictabit, ludens quae valle recantet imago?

MELIBOEUS

Uranii fatum fama est sensisse myricas
Pinusque, et vitreos fontes, collesque supinos,
Quin posita feritate ipsi doluere leones.
Durior ah ! saxis, monstrisque immanior una
Tam male de nostris merita est mors invida sylvis,
Nec tantum ausurae facinus manus horruit ictum?

Digitized by Google

Nec pietas illum, nec rara modestia texit?
Prisca fides, divumque metus non tela retorsit?

MOPSUS

Viribus herculeis instructus, et arte magistra
Sylvarum tutamen erat, formido ferarum
Uranius, victor quas strenuus exturbavit,
Aspera miscentes nequicquam praelia contra
Nunc clava pugnax, valido nunc robore dextrae
Perdidit aeternum, trusitque Acherontis ad umbras.
Heu! pecus infelix, postquam te cura reliquit
Uranii, tenero quis monstra arcebit ovili?

MELIBOEUS

Aurea saecla iterum nostros florere per agros
Visa sub Uranio, revirescere pulchrius herbae,
Quas bene depasti puros custode petebant
Uranio fontes lecti cum matribus agni:
Hinc pingues pecudes, hinc munera lactis abunde,
Pastorum hinc festae ferientes sidera voces.
Tunc quoque sponte sua manarunt ilice mella,
Nec passim errantes timuere armenta leones
Heu mortem invisam! bona quot rapis improba in uno.

MOPSUS

Jam valeant sylvae, valeant mihi cura capellae
Non levis, hinc dulces cantus, calamique, valete;
Uranius dilectus abit, qui nostra probabat
Carmina: pallenti quaerunt en omnia vultu
Uranium, Uranii quae nomen laeta sonabat
Nunc moestis aecho complet loca cuncta querelis.

MELIBOEUS

Triste satis grando, pecori lupus , improba vulpes
Cortibus, Uranii crudelia funera nobis;
Nec dolor hic citius miseros , quam vita relinquet.

Digitized by Google

MOPSUS

Gramina dum campis, dum ridet in aethere Phoebus,
Aequora dum pisces, et amabit caprea montes,
Uranii sylvis nomenque decusque manebunt,
Moerentesque ferent Pastores vota quotannis.

MELIBOEUS

At quo nos rapuit caeci vis magna doloris?
Pro tristi laetum debebat fistula carmen
Uranio, virtus quem jam subvexit ad astra.
Hinc abeant fletus, et inania verba dolentum.

MOPSUS

Haud mens laeva tibi, Meliboee, nitentibus astris
Imperat Uranius solio sublimis eburno,
Ver ubi perpetuum regnat, puroque fluentes
Fontes lacte nitent salientibus undique rivis.
Uranio potius debebat fistula plausus.

MELIBOEUS

Hinc abeant fletus, et inania verba dolentum.
Uranius jam rura tenet meliora sub axe,
Quae non laedet hyems, nec aduret solibus aestas,
Nec lupus infestat, nec fallax graminis herba
Illic cuncta vices nullas subitura renident.

MOPSUS

Felices nimium pecudes! vos inde tueri
Uranius si perget adhuc, sine fraude luporum
Florentem cytisum, et salices carpetis amaras,
Non vobis colubri, scabies non foeda timenda.

MELIBOEUS

Hinc abeant fletus, et inania verba dolentum.
En ut nostra tuum veneratur fistula nomen,
Uranie, at tu plena bibis dum gaudia Olympo,
Cui modo grata dabas bonus otia, respice sylvam.

Digitized by Google

IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

QUA

EMUS PRINCEPS XISTUS RIARIO SFORTIA

EOS

QUI SEDULIOREM SUPERIORI ANNO STUDIIS DEDERANT OPERAM

PRAEMIIS PUBLICE DONAVIT

ECLOGA X.

CUI NOMEN

DAPHNIS

Excipe, quae lusit nova fistula carmina, Daphni,
Haec modo si placeant, plura deinde feres.

ARGUMENTUM

Quanta sit praemiorum vis in amoenioribus provehendis disciplinis allegorice proloquuntur

PASTORES

Lycidas et **Meliboeus.**

LYCIDAS

Ecquid adhuc cessas? quid nablia ab ilice pendent
Pulverulenta diu? quantis nemora omnia nuper
Plausibus, et laetis resonarint dulce camoenis
Te latet? at nostram patiemur turpe silere?
Eja age, si quid habes, resona, Meliboee, cicuta
Experiare, bonus favit tibi semper Apollo:

Digitized by Google

Mellis habes nomen, da dulcia carmina, late
Unde nemus, montesque sonent, vallesque reductae.

MELIBOEUS

Quid, Lycida, ipse mihi, quid nomina vana cicutam?
Carmina quid memoras? neque fert hoc carmina tempus,
Nec sedet hoc animo: nostros insueta per agros
Ars haec alliciat, quibus est vesana cupido
Laudis, nos potius studiis instemus, amica
Commoda queis pecori redeant, pecorisque magistris,
Et quas edocuit fido prius ore Palaemon,
Artes tractemus noctesque diesque severas:
Scilicet insana ut rabies frangenda luporum,
Mulgendae ut pecudes, curanda ut vellera, laeta
Pabula quid faciat, niveique coagula lactis,
Quae vis fida canam caulis magis apta tuendis,
Quae pecori noceant, quae rursus gramina prosint,
Haec sunt, haec veros inter recolenda magistros,
Carmina non agris misera jactanda cicuta.

LYCIDAS

Falleris o quantum spernens, Meliboee, cicutam!
Quid valeant sylvae, cum desunt carmina sylvis?
Quid valeant memorata tibi tot munera? campos
Tondentes pecudes permulcent carmina, saevas
Haec tenuant curas, duros relevantque labores,
Haec superos nobis praebent in vota secundos.
Quam nulli valuere canes sat frangere, saepe
Carminibus nescis rabiem cecidisse luporum?
Orphea sic fama est, blando modulamine vocis
Edomuisse feras, sylvasque habuisse sequaces.
Omnia cum capiant, uni tibi carmina sordent?

MELIBOEUS

Esto: alios capiant miracula tanta cicutae;

Ast mihi, quod cecinit projectus ad ilicis umbram
Damoetas carmen, manet alta mente repostum :
Gloria inanis erit, si censum facta negabunt *.
In pretio pretium est, pretium me pellicit unum,
Sint tibi, quam laudas, sterilis modulamina avenae.

LYCIDAS

Parcius haec, Meliboee, lucri quae tanta cupido?
Nec pudet haec tantos inter jactare magistros?
Si te lucra tenent, sunt et sua lucra camoenis.
En modo Daphnis adest cantoribus ampla daturus
Praemia, munificus cum Daphnis rura gubernat,
Parce queri, versa in melius nam cuncta videbis;
Carmina Daphnis amat, sunt Daphnidi carmina curae.

MELIBOEUS

O sat laeva meam rapuit sententia mentem !
O dixisse pudet, quae me malus impulit error.
Quae me cumque jubes, jam sum cantare paratus:
Arva regit Daphnis, quid non speremus ab illo?
Incipe, te docili excipiam dein ipse camoena.

LYCIDAS

Artes alma fovent, accendunt praemia mentes:
Sic ager emicuit cunctis jam rebus abunde
Atticus, et calamos inflare leves, et dicere versus
Hic bene praestantes mira dulcedine late
Omnia carminibus complebant usque magistri:
Carminis hinc leges, hinc tradita jura canendi
Sylvis dein aliis: laudis tamen una cupido
Virtutum foecunda parens dedit esse poetas
Illos, quos celebrat modo laudibus ultima Thule.

* Nisi utile sit, quod facimus, stulla est gloria.

Digitized by Google

MELIBOEUS

Daphnis amat sylvas, cum praemia larga ministrat
Ingeniis stimulos, animis dant praemia vires:
Haud aliter viguere, Tibris quae perluit arva
Cum tenuit Pastor, *qui tempora et otia fecit*
Aurea * : nam plena donabat praemia dextra
Tum certatim agros colere, et cantare magistri,
A quibus arguta haec didicit modulamina tellus.

LYCIDAS

Alma fovent artes, accendunt praemia mentes :
Jessaei haec nemoris columenque,decusque Davidem
Robore firmarunt valido, et fecere poetam
Scilicet immanes, animum stimulantibus illis,
Contudit infractus clava, manibusque leones,
Millia et e cithara dedit aurea carmina, frustra
Quae superare parant vel Tytirus, ipse vel Orpheus.

MELIBOEUS

Daphnis amat sylvas, cum praemia larga ministrat?
Pastorum princeps Pimen **, nemorumque voluptas
Cum leges, et jura daret, cum conderet arva,
Praemia et ipse bonus, fortunae obnoxia nulli
Aeternum mansura polo spondebat in aevum,
Confertimque homines domibusque opibusque relictis
Illum sectati extemplo quocumque vocantem :
Tum veteres calami, veteres siluere comoenae,
Illuxit rerum novus ordo, nova extitit aetas,
Nec minus inde bonis noctuque, diuque magistris
Exculta immensum rura haec crevere per orbem.

LICYDAS

Omnia sol recreat, summo cum ridet Olympo,

* Designatur aurea aetas, quae Augusto imperante viguit.

** Designatur summus Pastor Christus Jesus, ideo Pimenis nomine donatus a graeco verbo ποιμαω *pascor*.

Digitized by Google

Herbas igne fovet, viresque ministrat amicas;
Artes alma fovent, accendunt praemia mentes.

MELIBOEUS

Et cythiso pascuntur oves, et rore cicadae,
Hyblaeis apibus thima, grata est arbutus hoedis,
Utiliora tuis cedunt tua munera, Daphni.

LYCIDAS

Verna nitescit humus, zephyris mollita benignis
Mense cadit Majo gratissimus imber agellis;
Nostras alma fovent mentes tua munera, Daphni.

MELIBOEUS

Lac teneros agnos, florentes educat hortus
De saxo trepidantis aquae cum murmure rivus,
Laetius at nostros animos tua munera, Daphni.

LYCIDAS

Hic sectetur apros, volucres venator, et auceps,
Blanditiae hunc teneant, tristesque Cupidinis ignes,
Unica sed nobis tua munera, Daphni, voluptas.

MELIBOEUS

Divitias alius per iniqua pericula quaerat,
Gaudeat hic sceptro, fulgenti hic purpura et ostro,
At mihi pluris erunt semper tua munera, Daphni.

LYCIDAS

Sit finis, Meliboee, cadunt de montibus umbrae,
Umbra nocet pecori, gravis est cantantibus umbra:
Pluribus haec alias, cum Daphnis jusserit ipse
In sua devotam nova munera ludere avenam.

MELIBOEUS

Sed prius haec memores mandemus discere fagos
Carmina vel seris recolenda nepotibus olim:
Alma fovent artes, accendunt praemia mentes,
Daphnis amat silvas, cum praemia larga ministrat.

Digitized by Google

Rustica sint quamvis, bonus excipe carmina, XYSTE,
Carmina Pastori non aspernenda benigno.

—

ECLOGA XI.

CUI NOMEN

LYCORIS

Recitata est haec Ecloga in frequenti Academiae Latinae conventu.

ARGUMENTUM

Sub Lycoridis, exitialis cujusdam Lupae silvas vastantis, allegorice damna per Typorum Licentiam postremis hisce temporibus in Europam universam invecta deplorant pastores Mopsus et Moeris. Cum autem hujusmodi licentiam Ferdinandus II, utriusque Siciliae Rex P. A. F. (quem Deus sospitet) lege ea de re lata in suo regno coercuisset, per Lycorida a Menalca telo interemptam id innuit Mopsus. Postremo per Pastores, pecudes, silvas, et pascua, quoties eorum omnium heic mentio injicitur, communiter Episcopi, et Reges, Populi, Regna, Religionis Christianae dogmata, et sacrae Philosophiae scita intelliguntur.

MOPSUS

Unde pedes te, Moeri? novus quis te impulit error,
Vel furor abripuit diversas quaerere silvas
Pertaesum nostras? coelum num gratius usquam,
Pulcrior aut rerum facies, aut pinguior herba est?
Nil nisi laeta vides; quacumque hic lumina vertas,
Intonsos circum montes, et amoena salicta,
Perblandos soles, et summo mollius auras
Spirantes, resono quas et stridore volucres,
Argutisque beant Pastores usque cicutis.

Digitized by Google

Nec riguos memorem fontes, nec pascua, lenis
Quae Sebethus alit, nec pinguia prata Vesevi,
Aut quae Pausilypis rident in collibus herbae,
Unde nitent pecudes, geminis bene foetibus almae.
Tantas ecquid opes ipse aversatus, ab oris
Advecti externis quas huc spectare frequentes,
Cessisti procul hinc alienis devius oris,
Altera dum messis, dum canuit altera messis?

MOERIS

Nulla juvant animum spectacula grata dolentem,
Fistula et in luctu res importuna severo.
Me quoque, Mopse, habuit primaevo ab flore juventae
Hujus amor nemoris, tenuitque immensa voluptas.
At simul hos campos caeco vastare furore
Unguibus, et rictu minitantia monstra nefando,
Quaeque diu steterat, pergratam avertere pacem,
Taedia sylvarum tenuere ingentia mentem.
Tum licet invitum diversa errare per antra,
Semotasque specus subiit, si forte liceret
Illorum ab strepitu securam ducere vitam.
Me miserum! quanti passim nova causa doloris!
Luctus ubique, pavorque, et plurima mortis imago
Moerenti objicitur, rabiesque insana luporum.
Haud ita turbinibus Boreas cum perfurit atrox,
Sternuntur segetes, et deplorata colonum
Vota jacent, longique perit labor irritus anni,
Foedior ut rerum species apparet ubique.
Heu me! quam piguit nostrae tunc otia sylvae,
Deseruisse, Deo dein fervida solvere vota,
Tot per acerba bonus properanti huc ipse faveret,
Nunc tandem spiro cura jam liber ab omni.
Terra, polusque ruat, quam vos, mea gaudia, Sylvae,

Digitized by Google

Uno vel pede praetcream, dum vita manebit,
O fortunati, qui vos coluere tenaces!

MOPSUS

O si, Moeri, scias, quot commoda, quot bona nostris
Diluvio ex illo cesserunt otia sylvis,
Maxima et illarum dulcedo, et gratia tanget.

MOERIS

Fare age, Mopse, vices quae sors exceperit atras
Laetior, ede, et adhuc trepidum solabere Moerim,
Praemia laturus mentis pro talibus ampla.

MOPSUS

Scilicet instructus telis, fortique Menalcas
Pectore in adversos generosior ipse leones
Ivit, et immani prostravit clade, repostas
Tum latebras nemoris tentans, genus inde luporum
Omne fugaturus, videt ima in valle Lycorin,
Totius unde mali labes, et tristia bella,
Arripit extemplo fulgenti cuspide telum,
Illius inque latus violento robore adegit,
Confecitque feram letali vulnere, ab illo
Tempore per campos belli cessare tumultus,
Gratius et sylvae monstris effulgere abactis,
Clarior ut facies post horrida nubila Phoebi.

MOERIS

Felix! o nimium felix bis terque Menalcas,
Numine quem superi tutantur ab axe benigno:
Dum stabunt sylvae, te coelo extollere vates,
Te resonare nemus, te certent dicere nymphae,
Per te luctisonis venerunt otia campis.
Vidi egomet, vidi, quantas dira illa Lycoris,
Bellua per sylvas qua non immanior ulla est,
Attulerit pecori clades, pecorisque magistris.

Digitized by Google

MOPSUS

Non ita Lernaeas baccata est hydra per oras
Herculeis manibus ferro flammaque subacta,
Nostris ut silvis modo contigit atra Lycoris.

MOERIS

Non ita letiferis olim metuenda venenis
Callida Circe homines in foedas vertere formas,
Insanam ut nostri sensere Lycorida campi.

MOPSUS

Triste lupus stabulis, fidos tamen ille Molossos,
Latrantes timet ille canes, vigilesque magistros,
Insidias contra, caecamque Lycoridos iram
Nulla canum vis fida satis, vigilantia nulla,
Abstulit illa canes, pastores abstulit ipsos.

MOERIS

Accipiter nidis est, cortibus improba vulpes
Infesta, at caulis infestior usque Lycoris,
Cujus ab infando rarescere ovile furore
Damoetas sensit, dum pinguia rura niterent,
Illa agnis matres, teneros rapiebat et hoedos.

MOPSUS

Alitibus viscum male cautis piscibus hamus,
Retia cacca feris, nemori periniqua Lycoris,
Illecebris captare sciens, et perdere blandis:
O quoties vidi sub ovina pelle choreas
Ludere mistam agnis, rabida tum fauce vorare.

MOERIS

Carpite, securae pecudes, modo carpite campos,
Subdita sylvoso placeant vel prata Vesevo,
Seu quae florescunt circum Sebethidos undas;
Integra cuncta nitent nullis vitiata venenis;
Occidit herba nocens, simul occidit atra Lycoris.

Digitized by Google

MOPSUS

Florentem pastae cythisum properate, capellae,
Ad nitidos fontes; et largis haustibus illic,
Fas explere sitim, et susceptas ponere sordes,
Namque Lycoris abest, que turbet, ut ante, liquorem.

MOERIS

Queis molles cura est legere, et bene jungere flores ;
Plaudite festivos pueri modo plaudite lusus ;
Pulcrius en rident, nulla violante Lycori.

MOPSUS

O silvas quot cura tenet, studiumque tueri,
Incolumes cupitis pecudes, pecudumque magistros ?
Vernantes campos ? nigram his agitate Lycorim.

MOERIS

Pluris honos, vates, superumque, hominumque voluptas :
Optatis, cedant gratissima carmina sylvis?
Inficiat cytharas malesana, cavete, Lycoris.

MOPSUS

At Mopsi precibus, Superi *, votisque favete.
Hactenus emicuit si vestro haec munere tellus,
Nec pecudes timuere lupos, timuere leones,
Ut seros potiora fluant bona dona per annos
Sylvarum hinc pestem quamcumque arcete Lycorin.

MOERIS

O cunctas Nymphas inter formosior una
Parthenis ** aetereo fulgens candore pudoris,
Hujus deliciae nemoris, columenque, decusque,
Si qua mala externis huc forte obrepat ab agris

* Omnes Urbis ac Regni tutelares divi designantur.

** Intelligitur Deipara Immaculata totius Regni Neap. praecipua patrona.

Digitized by Google

Usque tuos contra defende Lycoridos iram;
In tua templa ferent calathis tum lilia plenis
Ordine sat longo pueri, innuptaeque puellae,
Et votiva Tibi cadet hostia plurima ad aras.

Digitized by Google

ECLOGA XII.

CUI NOMEN

DAVID

ARGUMENTUM

Sub allegorica silvestrium carminum utilitate Scripturarum carmina laudant.

—

PASTORES

Elpinus et Glycystes.

Per carmina Scripturarum psalmos a David compositos; per sylvam, et quae de illa hic dicuntur, de Ecclesia oportet intelligi.

ELPINUS

Quam jucundus ades nostras, Glycysta, per oras
Expectate diu ! calamis tu nempe solebas
Hanc prius argutis sylvam mulcere, luporum
Seu gemeret fraudes, et tristes frugibus aestus,
Omnibus aucta bonis seu laetior illa niteret
Heu ! quae te rupes, quae solae habere latebrae,
Cum desiderio perculsus corda fideli
Glycystem Elpinus circum nemus omne vocaret ?

GLYCYSTES

Quid sylvas, calamosque refers, Elpine, dolenti
Ingratos nimium ! miseras urgere querelas,
Hactenus, et lacrymis justum relevare dolorem
Rupe sub informi mihi dulcior una voluptas.
Ecquis enim siccis oculis spectaret ademptum,

Digitized by Google

Ruris delicias, quo non clementior alter
Pastorum, Daphnin? saxis ah! durior ille.
Daphnin et ipsa bonum fleverunt antra feraeque:
Daphnin largifluo resonarunt omnia luctu (*a*).

ELPINUS

Sit flevisse satis, coelestibus additus astris
Rura colit potiora, metu jam liber et omni,
Almaque virtutis potitur sua praemia Daphnis,
Nec minor arte regit modo sedulus arva Palaemon.
Eja age (sub tanto turpe est cessare magistro),
Quod probet ipse, gravi modulemur carmen avena.

GLYCYSTES

Ut libet: hebraeus divino concitus aestro
Quae cecinit Pastor, meditemur carmina; prisca
Perque novas ingens illis stat gloria sylvas,
Et dociles recinunt pueri, doctique magistri
Pastores inter noctesque, diesque canoros.
Sanctius an quicquam nobis, vel dulcius illis?

ELPINUS

Jessiadis quam grata mihi pia carmina vatis,
Vos coryli testes, et odoriferae cyparissi,
Vos puri latices, vos antra virentia musco;
Vesperc cum summo, primo cum mane faventem
Vos jubeo resonare Deum, superosque per illum
Dicite quae teneat potior vos melle voluptas!

GLYCYSTES

Undique vernantis pulcherrima ruris imago:
Gramine ridet humus varios induta colores,

(*a*) Alludit hic Poeta ad obitum Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani Philippi Judice Caracciolo: haec enim Ecloga ab auctore composita est, dum graecas litteras im dioecesano Seminario doceret.

Digitized by Google

Umbrosi circum montes, vallesque reductae,
Et rivi salientis aquae, placidique susurri,
Plurima consociant ramos qua fagus et ilex
Et gratas afflant fessis pastoribus umbras.
Qui lenes zephyri! florum quam laeta venustas!
Mollibus ut recreant volucres concentibus auras!
Nec dulces pecudum curas, nec munera lactis,
Nec pingues segetes, secura nec otia dicam.
O non ipse casas permutem sanus agrestes
Regum auro quamvis, cultuque nitentibus aulis.
At quo vos zephyri, quo lymphae murmura et umbrae,
Quo flores aviumque melos, quo gloria ruris,
Carmina si taceant? sordescunt protinus omnia,
Ut sine sole dies, clara sine luce colores.

ELPINUS

Ite meae pastum, felix pecus, ite capellae.
Dum vos Jessiadis mulcet pastoris arundo,
Haud metuenda lues, dirae neque carmina linguae,
Pejoresve lupis oculi, aut fera turba leonum,
Nocte silente ovibus qui tristia damna minantur
Quin pecudes inter, mutata mente, vel ipsas
Dulce videre feras calami dulcedine captas
Et pasci, et festas una miscere choreas.
Occidet herba nocens, et fallax occidet anguis.
Ite meae pastum, felix pecus, ite capellae.

GLYCYSTES

Vidi egomet, quondam patulae sub tegmine fagi
Cum vario traherent horas sermone magistri,
Adventare angues immani corpore binos
(Mens meminisse fugit) suffectos sanguine, et igni.
Caeruleae ore micant linguae, fera colla tumescunt,
Nunc torquent cauda sinuosa volumina, crebro

Digitized by Google

Verbere nunc terram excutiunt, jam jamque minaces
Assurgunt, pavidosque parant lacerare magistros.
At simul incinuit jesseïa carmina Damon
Concidit extemplo magicis velut artibus ira,
Pergentemque minis positis Damona sequuntur,
Inde petunt notas dilapsus uterque salebras.
Ite meae pastum sine me, procul ite, capellae,
Jessiadis melius pueri vos ducet avena.

ELPINUS

Miles ab ense ferox, se jactet dives ab auro,
Eniteant ostro reges, sceptroque timendo.
Et decus, et columen fuerint mihi nablia David,
Rure nec extorrem nec devius auferet error,
Phyllides haud rapient blandae tristesque Neerae,
Nulla peruret hyems, gravibus nec solibus aestas,
Non fallent tenebrae, non monstra horrenda tenebris.
Incolumem ducunt per mille pericula, magnos
Dant animos jessaea mihi, dant nablia mentem.

GLYCYSTES

Non ita dispellit Boreae vis nubila coelo,
Non ita Sole nives rapidas tenuantur in auras,
Ut saevas abigunt animo pia carmina curas.

ELPINUS

Lenta salix passis jejunia longa capellis,
Gratus agris imber nimio sitientibus aestu.
Gratior at nobis dilecti vatis arundo.

GLYCYSTES

Jam valeat, sylvas, quisquis fuit ille, canendo
Quem traxisse ferunt, et monstra immania secum.
Dulcior est, nostros qui mulcet arundine campos.

ELPINUS

Tytirus hinc abeat cunctis celebratus in arvis,

Digitized by Google

Actius hinc, omnes concedant Arcades, unus
Arbiter agrorum pastor modo regnet Iesse.

GLYCYSTES

Glycystis sicura tui si gratia tangit,
Ante, Deus, nigras adigat me fulmine ad umbras,
Quam semel ista viro labantur carmina ab ore.

ELPINUS

Quin prius abreptos perdat nos terra dehiscens,
Quam fagis inscripta sacris ferat improbus Auster,
Carmina, certa quibus sylvae stant pignora nostrae.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO DOMINO

SYXTO EX DUCIBUS RIARIO SFORTIA

GREGORII XVI PONTIFICIS MAXIMI

PRAELATO DOMESTICO EJUSQUE PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI

AD ARCHIEPISCOPALEM NEAPOLITANAM

CATHETRAM EVECTO

SUB ALLEGORICA DAPHNIDIS PERSONA

SACERDOS STEPHANUS VIGLIONE E TERRA MALETI

PER MOPSUM AC MOERIN TENUI GRATATUR AVENA

ECLOGA XIII.

CUI NOMEN

DAPHNIS

—

MOPSUS

Salve, Moeri, tuo rerum dulcissime Mopso:
Opportunus ades rigui prope fluminis undas,
Quo solitus Thyrsis compellere saepe capellas,
Et resona colles circum recreare cicuta.
Hic, memini, Lycidas, agros cum Daphnis haberet,
Inque suo calami pretio, certabat Amyntae,

Digitized by Google

Amplaque pro meritis sibi praemia quisque ferebat.
Heu nimis in sylvas crudelia sidera, in uno
Daphnide quot sylvis rapuistis commoda! quanto
Et pecus et miseros viduastis honore magistros!
At quo me rapuit caeco mens acta dolore?
Dum chorcis nemus omne sonat plausuque frequenti,
Sint procul hinc gemitus, procul hinc suspiria: Daphnis,
Alter adest: votis Deus annuit: ecce benignus
Reddidit ablatum magno cum foenore Daphnin,
Robore qui dextrae, qui pectore pollet, et astu.

MOERIS

Forsitan hic ille, Arcadiam sub flore juventae
Qui petiit primo, summis didicitque magistris
Et campos colere, et voces inflectere cantu?

MOPSUS

Scilicet: Arcadiaeque artes sic impiger hausit,
Omnes ut magna ferretur laude per oras;
Et Corydon (*a*), ingens cui nostra in rura potestas,
Miratus raras juvenili in pectore dotes,
Pastores inter dederit considere primos.

MOERIS

Nunc teneo, patulae projectus ad ilicis umbram,
Quem gracili Damon resonare docebat avena
Vicinos agros, decus immortale, suumque
Saepe Deum, tutis quo praeside et auspice sylvis,
Nulla sibi posthac, ovibusque timenda pericla.

MOPSUS

At tibi, Parthenope, coelum quam purius afflat,
Et cunctis beat usque bonis, sors debuit isthaec.
Fortunata nimis tanto pastore! capellis

(*a*) Sub hoc nomine venit Summus Pontifex.

Digitized by Google

Otia quanta tuis, et rerum copia fiet!
Eja age, si miseris ante indulgere querelis,
Laetitiae verum est modo tollere ad aethera voces.

MOERIS

Plaude tibi, Sebethe, tuas jam molliter undas
Ire jube, festisque novo gratare parenti
Fluctibus. O quantis olim tua crescet ab illo
Gloria nominibus nullum peritura per aevum!
Quam jucunda tuam mulcebunt gaudia pectus,
Florentem cythisum pastas et amoena salicta
Ludere cum pecudes circum tua flumina spectas,
Et calamis secum argutis certare magistros,
A quibus ipse feres non sordida munera laudis.

MOPSUS

Pausilypi colles opibus foecunda superbis
Sedes, nate animis tristes depellere curas;
Vos quoque nunc roseis redimitos tempora sertis
Plausibus insolitis fas est cognoscere Daphnin,
Cujus ab auspiciis protectos undique, nulla
Vos contristet hyems, nec iniquis solibus aestas,
Non violens boreas, non vis insana luporum;
At tempestivi rores, zephyrique fovebunt,
Cantibus et blandis voluerum genus omne beabit.
Quidquid ubique viret formosi, quidquid ubique
Floret odorati, per vestras usque nitescet
Sylvas, ut migrasse putes hue Thessala Tempe.

MOERIS

Ite meae pastum sine me, procul ite, capellae,
Seu dilecta juvent vos pabula Mergellines,
Seu rupes capiant magis et juga grata Vesevi,
Aut prope Sebethum quae mollia gramina crescunt.
Felices nimium, si Daphnis respicit aequus!

Digitized by Google

Si vos Daphnis amat, quid vobis laetius usquam es :
Non fallax vobis anguis , non atra venena ,
Non oculi poterunt, herbaeve nocere malignae.
Nequicquam parat insidias , rabiemque minacem,
Triste lupos stabulis ; vanas ridebitis iras.

MOPSUS

Plaudite io , nostri tangit si gratia ruris ,
Agricolae , Daphnin celebrate , et tollite coelo.
Spargite humum foliis , ornate mapalia sertis,
Carminibus resonent montes , vallesque reductae ;
Laetitiaeque suo gratum testentur amorem
Daphnidi rura; meret fieri sibi talia Daphnis ,
Daphnis dulce decus sylvae , pecorisque voluptas ,
Numinis interpres, si foeda piacula sylvam
Obstringant , magna vi protinus ille resolvet ,
Et pia conciliat superos in vota benignos.
Aurea tum nostro decurrere saecula ruri ,
Flumina tum lactis , largae tum munera pacis ,
Et blandi soles , et pleni veris honores,
Dulcius et quicquid finxit veneranda vetustas.

MOERIS

Plaudite io , memorem tangit si gratia mentem ,
Agricolae libate Deo , qui rura gubernat
Providus e coelo , cujus stant omnia nutu.
Si tribuit Daphnin pro sospite Daphnide in annos
Illius ante aras lectos mactate juvencos.

MOPSUS

Qui legitis flores , pueri , argutaeque puellae ,
Hinc atque hinc celeres Daphnin redimite merentem.
Pallentes violas , roremque , et molle cyperon,
Caryciosque crocos , vaccinia carpite, et alba
Lilia, cherepulum, casias, calthasque, thymumque,

Digitized by Google

Et cum *Narciso*, *Thymbram*, *Tulipamque* decorant,
Abrotonum, et flavum *Panacen*, meliusque nitentes
Parthenopaea sinu quot nutrit terra colores
Omnibus, at praestet vel acutis sentibus horrens,
Gloria veris, honos agri, *Rosa*, quae ardet ab ostro
Nativo , et flores sese transcribit in omnes.
Hinc simul intextam docta satis arte coronam
Pastori hoc primum tenero date pignus amoris.

MOERIS

Interea tu , Daphni , libens haec tenvia quamvis ,
Quae gratae tuleruut Sebethides , excipe dona ,
Floribus inque datis pectus cognosce tuorum.
Nec minus aspicias aequus si nablia Moeris ,
In laudes devota tuas damnabis , honores
Cum meritis feret alma novos sua praemia virtus.

Digitized by Google

IN LIBROS VETITOS

CARMEN V*.

AVERSAE AB AUCTORE DATUM, CUM HUMANIORES DOCERET LITTERAS.

Insidias Erebi per foeda volumina structas,
Quae diram valuere necem mortalibus aegris
Inferre, et celeri Vaticani fulmine ad umbras
Rursus adacta nigras animus fert dicere. Vati,
Diva, fave, et praesens coeptis tu suffice vires.
Forte per immensas ardentia lumina terras,
Funera si qua potis, tristesque inducere clades;
Extulerat caeci Princeps malesanus Averni:
At videt in tutum, versis Aquilonibus actos
Christiadas, totique Fidem dominarier orbe
Sublimi vectam curru properante citatis
Quadrijugis, trabeaque humeros, et terga decora
Centum illi praeeunt pedites longo ordine reges
Tangere lora manu laeti, Dominamque canentes,

* Advertat lector, carmen hoc *in libros vetitos*, typographorum incuria, heic praeter rerum ordinem esse positum.

Digitized by Google

Quae pacem populis servet, regumque coronas.
Haec simul aspexit, rabidas exarsit in iras,
Ingemuitque diu lacrymis perfusus obortis,
Dein caput haec quassans flammato pectore rupit :
« Heu genus invisum ! heu fatis contraria nostris
» Fata hominum! haud igitur Coelo prohibere sereno
» Immeritos valui, primaeva ab origine mundi
» Aspera bella licet, fraudes molitus et aptas ?
» Aethera dejectos miserum nos crimen ob unum
» Tristia regna tenent, nec spes manet ulla salutis,
» At procul errantes recta regione viarum,
» In vetitumque nefas caecos sine more ruentes
» Certum iter ipse Deus docuit, comes ire nec illis
» Abnuit humana lustrans sub imagine terras,
» Morte sua victor tum lato induxit Olympo :
» Aligerumne ibit parili dignatus honore,
» Desertosque foros, et nostra sedilia stultus
» Mortalis complebit, atrocem eludet et Orcum
» Quidne ego ?... sidereis esto detrudre regnis
» Non dabitur quemquam, praecludere at obice portas
» Ingenti, ut nulli posthac, quot vita manebit,
» Ipse vel Omnipotens valeat reserare per aevum
» Quid vetat? hoc animo sedet, implorabo quod usquam est
» Si mea lassa odiis, haud exaturata quierunt
» Numina, ab hoste juvat meritas jam sumere poenas. »
Vix ea fatus erat, scelerata ab sede sororum
Luctificam ciet Alecto, suffusa venenis,
Invidiaeque gravi cui pectora felle tumescunt,
Omnibus horrendum, visu et mirabile monstrum,
Quam Pater his acuit dictis ad dira paratam :
« Clarior una mihi ante alias, pars maxima nostri
» Imperii, rebus cum certa levamina semper

Digitized by Google

» Attuleris, nova bella novas tentanda per artes,
» Ut nos caelesti Superum Dominator ab axe
» Egerit in praeceps, odiis agitatus acerbis
» Utque (nefas) homini fuerit data regia Coeli
» Nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore.
» Nec contentus eo victricibus undique telis,
» Insidiisque iterum mea quot sub signa coegi,
» Praeripere usque sibi populari et tartara pergit,
» Inde suas penitus meditor jam perdere gentes,
» Qua fieri id possit paucis (adverte) docebo.
» Ars brevior commenta libris includere sensus
» Nunc praelo, sculptisque typis, ipsi arma ministrant
» Hostes, rumpe moras, molire volumina caecis
» Ignibus, afflata, et praesentis tabe veneni;
» Ut simul haec tangat, quisquis fugat, hostia nobis
» Certa cadat, noscatque feri fera praelia Averni. »
Dixerat. Illa volans turrim conscendit ahenam,
Ostia quae servat stygis, et caput abdit in umbris,
Clamoremque dedit, latae insonuere cavernae,
Et subito ante oculos natae de nocte sorores,
Fratrumque evadunt glomerata caterva vocanti;
Nimbosi veluti vertunt cum turbine campos
Euri, fit stridor, volitantque per aera frondes.
Accingunt operi furiali mente subacti:
Principio latices inter ferventis aheni
Carbasa conjiciunt, quae prima per atria coeli
Extulerunt belli signum, mollita liquore
Plurimus horrisono contundit malleus ictu,
Pars ex aere typos procudunt, torcular ingens
Aedificant alii, dant nigra venena Cerastes,
Et spumas Acheron, et Cerberus atramentum,
Fervet opus, confecta volumina mille repente.

Digitized by Google

Arridet facto Satanas, mox ferre sub auras
Electos jubet artifices, scelerisque ministros,
Noctem sub dubiam quales mynieides imis
E specubus sese erumpunt sine lege vagantes,
Et varias circum exercent miscentque choreas.
Sic ducis imperio haud segnes tellure potiti
Tartarei comites per amica silentia lunae
Illa peste graves ibant, gradientibus una
Arescunt flores, et gramina laeta per agros.
Devenere locos, vasto qua murmure praeceps
Sequana volvit aquas, adeunt inde agmine recto
Artibus ingenuis celebrata palatia, jura
Lutetia unde sibi, morumque oracula poscit;
Quos inter medii ut primum venere, nefanda
Ponunt dona humeris, et nigrum Acheronta revisunt;
At vix noctem abigit roseis aurora quadrigis,
Circumfusa ruit vesano concita ab aestu
Turba sophum, et stygiis allata volumina ab oris
Arripit heu ignara illis mala quanta tegantur!
Nec volvisse semel satis est vorat usque revolvens:
Illico fama volat, totum et vulgata per orbem
Longe alia adventasse canit regione libellos,
Religio quibus arcta minus, moresque feruntur:
Omnibus unus amor nova discere dogmata, cautes
Protinus alpinas superat, saturniaque arva
Detestanda lues adit, et flavos Alemannos,
Europen, Asiamque et terrarum cuncta fatigat.
Interea magno misceri funere terras,
Taenariosque dolos summi Dominator Olympi
Sensit, et e cunctis divina mente Sophiam,
Consilioque catas orci disperdere fraudes
Ad sese ciet, et placido sic incipit ore:

Digitized by Google

« O quae natarum non ultima jure mearum
« Diceris, haec nitidis quippe intertexta smaragdis
« Atria, perpetui revolutis orbibus orbes,
« Ingentes penitus terrae, et ludentibus undis
« In mare velivolum properantia flumina passim
« Arte stetere tua, stygio sed ab hoste receptos
« Terrigenas tanti haud cadet unquam gratia facti;
« Insequitur tamen ipse novas inferre ruinas.
« Incautis malesuada vi ris, scelerumque magistros
« Haud reor ignoras modo quae submisit ab umbris
« Nigrae plena stygis fabricata volumina Diris,
« Te decet ire malum nostra hoc avertere gente,
« I, pete, Nata, Urbis fastigia celsa, supremus
« Doctor ubi Fidei Petri tenet inclyta regna,
« Cui dedimus quondam reserare et claudere coelum,
« Hunc tu convenias, et pauca haec dicito: Monstra
« Ecquid inulta sinit totis baccharier oris?
« Fulmina quid cessant non ullis irrita sacclis,
« Coelo accita prius? jaculetur, et improba Averni
« Vis cadat, insanis arbor seu proruta ab Euris,
« Ne paveat, nam tutus erit sat numine nostro
« Tu quoque luce nova dubiam perfundito mentem.
Vix bene deficerat, superi plausere frequentes,
Excepit voces, caecum infremuitque. Profundum
At gemmis conspersa sinus, faciemque decentem
Induta ad terras celeri volat illa micantum
Remigio alarum, et Romanas attigit arces
Junctaque mandatis tenues secessit in auras.

Digitized by Google

Quae sequuntur Elegiae ab auctore, dum humanio-res litteras Aversae doceret, fuerunt datae.

AD ISABELLAE REGINAE DEFUNCTAE ASPECTUM

FRANCISCUS BORGIAS

ELEGIA I.

Scilicet et meritos musae Franciscus honores
  Borgiadum poscit gloria magna ducum.
Ordine ut eniteat longo generosus avorum,
  Attamen exsuperat moribus ille genus:
Aulae delicias illum, plaususque secundos
  Spectantem immoto lumine vidit Iber;
Justitiacque tenax dixit sacra jura per urbes,
  Exemplo populos composuitque suo.
Clarior at longe, superum cum numine, Jesu
  Unica juravit dulcia castra sequi.
Jam defletum ibat Reginae efferre cadaver,
  Regum ubi Cantabriae busta superba nitent.
Ut feretro patuit facies turpata recluso,
  Ingemuit, tales tum dedit ore sonos:
Heu stupor! heu! scenae ludentis ut arte, repente
  Qui rerum ante oculos vertitur ordo meos?
Ergo ubi summa dies fatales clauserit annos,
  Exiguus tandem pulvis et umbra sumus?

Digitized by Google

Siccine praetereunt cursu dilapsa fugaci
  Per mille assiduo parta labore vices?
Haud secus aequoreo fertur cita gurgite navis,
  Emensae infigit signa nec ulla viae,
Haud secus insano rapiturque et volvitur aestu
  Currere, quae verso flumine nescit aqua,
Antiqui ut decoris vestigia nulla relinquens
  Gens humana eodem praecipitata ruit.
Quid juvat aut sceptro gentes fraenare superbas,
  Aut, qua terra patet, laude vigere virum?
Advectas quis opes alia tellure reponat?
  Quis jactet vasti jugera culta soli?
Dives, inops una, reges humilesque coloni
  Serius, aut citius victima mortis erunt.
En quae deliciis, largisque paratibus, oris
  Regia complebat tecta nitore sui,
Cujus in obsequium clara de gente puellae
  Adstabant serva nocte, dieque manu,
Hesperiasque ingens ibat Regina per urbes,
  Laetitia mediis plebe fremente viis,
Jam jacet Elisabeth, mutum sine honore cadaver,
  Totam cum titulo, quod fuit, urna tegit
Malobathro molles syrio, gemmisque nitentes
  Heu mihi! tam subito deperiere comae?
Gratia quo vultus, quo formae abiere decorae?
  Extinctam heu! quantus squalor et horror habet!
Aspexisse piget foedo manantia tabo,
  Mortis ab allapsu quae modo membra putrent.
De tot possessis tumulum Regina quid ultra
  Praeripuit tumuli praeter inane decus?
Omnia mors rapuit, quae non corrumpitur auro,
  Ipsorum et regum fulgida sceptra terit.

Digitized by Google

Fallaces hominum curas hos caeca voluptas,
  Hos rapit ambitio, hos et male sanus amor.
Quod fugit, et fallit, veluti sub imagine somni,
  Saepius ah! miseri per scelus omne petunt.
Desipuisse sat est: tituli, plaususque valete,
  Aula vale, blandis fallere docta modis.
Signa juvat potiora sequi, decus unde perenne,
  Et merces dubias non subitura vices.
Jam tibi me totum dedo, bonus accipe Jesu,
  Dein spes, dein votis ultima meta meis.
Juratam ecquid enim non vis, non dira minantum
  Regum apices poterunt dissoluisse fidem.
Haud trahar illecebris, haud illita gloria fuco,
  Haud capiet quicquid pulchrius orbe nitet:
In caput ut surgant infanda pericula nostrum,
  Omnia tu nobis, et satis unus eris.
Ah! peream potius nigras detrusus ad umbras,
  Quam semel abripiant haec mea dicta noti.
At quae fida doces humanas spernere sortes,
  Sis mihi mors vitae, duxque, comesque novae.
Tu mea sensa regas, tu pectoris abdita posthac,
  Judicio nil quit rectius esse tuo.

Digitized by Google

DIVAE MAGDALENAE

AD SEPULCHRUM CHRISTI JAM REDIVIVI VACUUM REPERTUM

LACRYMAE

DEINDE SUBITA E VISO LAETITIA

ELEGIA II.

Quo dilectus abit mea lux, mea vita? quis aegrae
  Partem animae hinc rapuit, dimidiumque meae?
Per tenebras forsan studiosior ulla Sionis
  Praevenit studium, votaque nostra soror?
Nec satis hunc illi tumulum arbitrata decentem
  Sedula composuit nobiliore loco?
O te felicem, cui sors haec contigit almi
  Solis ab occasu ceu nova stella micas;
Ut gaudes, quae fecit amor, dum vulnera spectas,
  Oscula dum figis, dulcia mella legis;
Illud corpus erit, stellis distinctus ut aether,
  Quo fulgente tua nubila mente cadunt:
Si penetras pectus, caelesti saucia ab igne
  Quam laetam vitam ducis amoris ibi;

Digitized by Google

Si latus effossum, puri tibi nectaris inde
  Pocula non ullum finem habitura fluent.
O felix nimium tali jam sorte potita,
  Te nihil immensus laetius orbis habet :
Quam tibi laeta tamen thesauro hinc barbara abacto,
  In me tam saevis , funeraque atra moves ?
Item ! cruce pendentis mira dulcedine pectus
  Sanguinis explevit parvula gutta meum ;
Quid dare complexus, avidis quid stringere in ulnis,
  Quid lacrymis sordes tergere , et ore foret ?
Ah ! redeas ; cupidamque tui solare dolentem ,
  Ni vis hic , Jesu , victa dolore cadam.
At tantas inter me confectura repente
  Quae nova nunc animum cura laborque subit ?
Lintea divino cerno hic infecta cruore ,
  Haec secum abriperet, si rapuisset amans.
Forsitan infami qui fixit in arbore , demens
  Abstulit , et praedam mox dedit ille feris.
Non satis heu ! rabido detritam verbere carnem ,
  Sentibus e rigidis serta tulisse caput ?
Non satis indignos inter visum esse latrones ,
  Quaque illi pereunt lege , perire fuit ?
Pergis adhuc saevire , et vulnere hiantia multo
  Non exhorrescis tradere membra lupis ?
Auctori ah ! nuper subitis famulata ruinis
  Cur tellus ausum talia ferre potes ?
Qui mortem insuetis miseratus Numinis umbris ,
  Quid sol ille tuo non perit igne cito ?
Quotquot habent pontus, quot caeca pericula terrae,
  In caput acta tuum, perfide latro , ruant.
Sed frustra indignor non ipsa ego criminis expers ,
  Foemineo Jesum passa timore rapi :

Digitized by Google

Debueram vigil hic noctesque manere diesque,
  Dum meus hic dulcis dulce quiesset amor.
Haud ego debueram vesanos nocte latrones ,
  Nec de vicinis monstra pavere jugis ;
Non iras austri, non strictum militis ensem
  Haec contra fortis tela dedisset amor.
Viribus armasset divina potentia dextram ,
  Virgine et in molli haec saepe timenda fuit :
Foemina ut imbellis conferta per agmina Judith
  Ausa est Assyrii caedere colla ducis ?
Una ego dilectum pro me tot tristia passum
  Deserui segnis ? siccine fervet amor ?
Maxima culpa mea est , nulloque piabilis unquam
  Supplicio , at lacrymis usque gemenda meis:
Mors mihi pena levis , graviores sumite poenas
  Conjunctis armis terra , polusque simul.
Dixerat, et miserum! crines laniata , sinumque
  Madlena e tumulo jam reditura fuit,
Cum improvisus adest Jesus (olitoris in illo
  Os , faciesque) suo nomine deinde vocat
Laetitia exultans vires , animumque resumit
  Viventem flexo tum colit ipsa genu ;
Et mora nulla suis latas referenda per urbes
  Jussa facit , Jesum vivere ubique docet.

Digitized by Google

DIVUS ATHANASIUS

EXSILIO MULCTATUS JAMJAM PROFECTURUS SUOS ALLOQUITUR CIVES

ELEGIA III.

Ille ego, qui, Cives, vestro modo laetus honore,
  Spernebam vitae certa pericla meae,
Quique lupos inter caeca feritate minantes
  Nocte dieque vigil vos tuiturus eram;
At nunc a dulci per vim divulsus ovili
  Protinus indignam cogor inire fugam.
Scilicet haereseos jam res valuere, dolique,
  Atque mihi toties victus Arius ovat:
Quaerere nam terras alio sub sole jacentes
  Me patria ejectum principis ira jubet;
Principis ira jubet nunc tot mihi linquere amata,
  Et maris et terrae tristia quaeque pati.
Heu miser! heu! hominum quam sors malefida, per orbem
  Exsul, et ignotus, qui modo praesul, erit?

Digitized by Google

At quid ego haec? Princeps quidnam, fortunave caeca
  Invidit nobis, totque molesta tulit?
Sic Deus, apta suis qui legibus omnia versat,
  Quique adversa virum, aut fata secunda regit.
Ut libet, exagitet, nec fas cognoscere causas,
  Me vel ad astra vehat, me vel ad ima premat;
Ut libet, exagitet (mora nulla), facessere jussa
  Me decet, et satis est sic placuisse Deo.
Acrior una tamen, nullis medicabilis herbis,
  Discruciat teneri pectora cura gregis.
Heu! quam difficile est, illum tot caedis anhela
  Monstra inter salvum vivere posse diu;
Quot struit insidias, quot et impia fata minatur,
  Qui latitat ficta sub pietate, lupus:
Nec circum minus atra furit nova turba ferarum,
  Dum secum discors praelia dira gerit.
O ita! solliciti mihi pignora cara laboris
  Hostili videam caesa furore cito?
Eja agite, o Cives, rapiant mea protinus aurae
  Verba, nec eventus vera fatenda probet;
Et contra errorum nitentes stulta catervas
  State animis, tumidas spernite et usque minas.
Nam flatu ut Boreae vanescunt nubila coelo,
  Sic ruet haec vobis vis inimica brevi.
Sed prius immiti solvatur vita bipenni,
  Quam cadat e vestro corde vetusta fides;
Spectatur dubiis, rebus latet illa secundis,
  Atque novas semper per mala ducit opes.
Damna ab Ario quae fertis nunc, lucra putate,
  Certam namque labor sternit ad astra viam
Per medias caedes, per tot discrimina Martis
  Victricis miles frondis amore ruit,

Digitized by Google

Qui petit extremo gemmas oriente, nec undas,
  Nec timet insani navita monstra maris,
Quasque nova messor segetes aestate recondit,
  Dum sereret rigido quot jove acerba tulit!
Vos majora manent fulgenti praemia Olimpo,
  Praemia fortunae non subitura vices;
Si sic pugnatis Christi pro nomine pugnas,
  Tandem ut quisque abeat victor ab hoste truci.
Eja audete: sibi certantum rite secundat
  Numen ab aetherea fortia coepta domo,
Atque ego, quod potero, quicumque exceperit orbis
  Me, vivam vestri tempus in omne memor:
Seu sol occiduis caput occultarit in undis,
  Seu rutilum summo sparserit axe caput,
Fundentem aspiciet ferventia vota, precesque;
  Clarius eniteat tela per ista Fides.

Digitized by Google

MATHETAS

MORBO CORREPTUS, JAMJAM MORITURUS, ADOLESCENTIAE MEMORIA IN SEMINARIO NEQUITER EXACTAE ANGITUR.

ELEGIA IV.

Quae subit o rerum teterrima imago ? medullis
  Quae me fixa imis cura fatigat atrox ?
Quae furit extemplo nostram ruitura, quietum
  Dum sequeretur iter, nigra procella ratem ?
Infidum frustra sperabat currere pontum
  Tuta sibi, verae nescia quippe viae,
Optatam frustra sperabat tangere metam,
  Nescia quae demum meta tenenda foret:
En illisa vadis, coepto vix naufraga cursu,
  Frangitur, en validis fluctibus acta perit.
Tanta mari haud miscet certans aquilonibus auster,
  Terra polusque simul praelia quanta mihi,
Certa nec effulgent turbato sidera coelo,
  Ars diffidit, opem nec modo ferre valet.

Digitized by Google

Quo me cumque rapit ferus aestus, differor exspes
  Ante oculos cerno nil nisi triste meos ;
Nunc agit, et terret laeti gravis ira Tonantis,
  Foedis nunc culpis vita referta premit.
Importuna nimis sacra hinc abscedite tecta
  Flore sub aetatis non bene culta meae :
Vos mihi solliciti, vos tandem causa timoris,
  Cum vomet epotas, facta Charybdis, aquas.
Qui fuerim heu! memini hic legum contemptor iniquus,
  Quae poterant facilem sternere ad astra viam.
Cuncta amens vitiis, votisque fugacibus, uni
  Virtuti, ac musis tempora danda, dedi,
Purior unde aliis, meliorque petita Sophia est,
  E studiis hausi dira venena miser.
Ah ! pereat quicumque stygis conspersa liquore
  Obtulit, accensis biblia digna focis.
Ah ! prius immiti cecidisset ab ense resecta,
  Quam malesuada sibi tangeret illa, manus ;
Ah ! prius aeterno clausissem lumina somno,
  Quam pejor mihi mors hausta per ipsa foret.
Vulnera mille tulit sceleris mens integra ab illis,
  Mille animus, mortes mille tulere boni.
Nocturna vertique manu, vertique diurna
  Instrumenta necis, supplicitique modo.
Inde animos sumpsi cuivis parere negantes,
  Et legum indociles dulcia ferre juga :
Me turpes ignes turpes docuere libelli,
  Blandius et quicquid nunc didicisse piget ;
Cultoremque Dei segnem, divaeque Parentis,
  Me fecere, mei finis et immemorem.
Sentio, quam sero nostris quae mane silenti
  Mors toties surdis auribus insonuit ;

Digitized by Google

Quem non extimui placido prius ore minantem,
  Vindicis experiar jam fera tela reus ;
Tartareae flammae, tacita quod volvere mente
  Vos renui, vobis poena luenda manet.
Vester eram, superi, sed gaudia vana secutus
  Nec vestra expetii, nec meruisse decet.
Parce queri, doctor, vos fidi parcite Achates,
  Si venti curas diripuere mei :
Maxima posthabui dubiae momenta salutis,
  Quae rectum per iter ducere sola queunt ;
Quare ardens ut equus ruptis jam liber habenis,
  Mentis inops, praeceps in scelus omne rui.
Me miserum! ecquid agam tantis jactatus ab undis,
  Anchora dum quassam non regit una ratem ?
Confodi carus nimio moerore parentes,
  Quod vitam dederant, promeruere necem ?
Ultura exsurgit stygio sua fata profundo
  Perdita ab exemplis plurima turba meis.
Me miserum ! ecquid agam ? cursus iterare relictos
  Non datur, haud, vexit quod brevis hora, redit.
O saltem haec tangant falsos mea dicta sodales,
  Et discant veris credere vela notis :
Sic quos perdideram mihi vel pro parte receptis,
  Placati levior Numinis ira venit.

Digitized by Google

ECLOGA XIV.

CUI NOMEN

PARTHENIS

AB AUCTORE IN ACADEMICORUM LINGUAE LATINAE COETU
KAL. OCT. HABITO RECITATA

ARGUMENTUM

Cum in hujusce Academiae latinae Patronam ab eminentissimo praeside Deipara sine labe originali concepta fuerit adoptata, ea de causa celebrandam suscepit Poeta. PARTHENIN autem appellatam voluit a graeco verbo παρθένος, quod virginem designat. Parthenis igitur laudes alternis prosequuntur Mopsus et Thyrsis variis usi e sacris Bibliis petitis allegoricis locutionibus, quae de eadem Deipara mystice dictas esse omnes sacri interpretes fatentur.

MOPSUS

Cur non, Thyrsi, levi quoniam resonare cicuta
Pastores alii silvas, hic fontis ad undam,
Quam virides herbae, et rara tegit arbutus umbra,
Nos quoque dulcisona meditemur arundine carmen,
Quod recolant seri ventura in secla nepotes ?
Te nemo superare valet per rura canentem,
Seu pecudes mulcere juvet, seu ruris honores,
Vel quae cura boum, pecori qui cultus habendo
Dicere, seu caecas fraudes plorare luporum,
Phyllidos aut ignes, tristesve Amaryllidos iras.

Digitized by Google

THYRSIS

Haec alii, bone Mopse, quibus mens laeva, profanae
Et quibus obtigerunt silvae, tenuesque camoenae :
Altius assurgant fas nablis nostra, colendis
Omnia pura sonent Superis devota, benigni
Qui coelo tutantur oves, oviumque magistros.
Ipse et Daphnis adest, cui turpis habetur avena,
Ni Superos, et sancta sonet: sit Daphnide dignum,
Sit Superis dignum, si quod cantare placebit.

MOPSUS

Gloria silvarum princeps, et summa voluptas,
Pastorum columen, pecudum tutela nocentum
Insidias contra, atque immitia damna luporum,
Semper dicta meis, semper dicenda, camoenis,
Parthenis, ipsa venis calamis aptissima nostris.
Ecquid laude prius, quid dignius emicat illa,
Numinis alma parens veterum sine labe Parentum
Quae concepta Deo propiori luce coruscat ?

THYRSIS

Parthenin obsequiis primaevo a flore juventae
Ut colere occepi, testes vos dicite silvae,
Nocte dieque illam cum vos resonare docerem,
Cum molles violas, et candida lilia carpens,
Tum myrrha, atque aliis intexens suavibus herbis,
Olli dona libens ferrem pergrata corollas :
Illius auspiciis et pingue nitescere ovile,
Et florere agros sensi, dum funera circum,
Omnia dum circum loca luctus et horror haberet.

MOPSUS

Lumine pacato quem Parthenis aspicit, ille
Omnibus usque bonis, et pace fructur abunde,
Tristia per somnos illum non omina terrent,

Digitized by Google

Non vis hostilis, rabies neque caeca ferarum :
Longa sed aequa sibi traducet tempora vitae
Rerum per quascumque vices, quaecumque pericla.

THYRSIS

Qui non laude ferat, qui non sectetur amando
Parthenin, ille bona vel mente carere putandus,
Vel nescit, quanta praestet decorata nitore
Jessaeas inter formosior una puellas
Integra tota micat, foedantis nescia labis,
Alba columba velut, maculis obnoxia nullis (a).

MOPSUS

Praenitet ut roseis Aurora invecta quadrigis,
Ut nil Sole micat summo speciosius axe,
Ut rubicunda nitet per noctem Luna silentem (b);
Parthenis et cunctis formosior una refulget,
Quot praeclara Sion jactat candore puellas.

THYRSIS

Tollit odore comas laetis ut flosculus hortis,
Vepribus e mediis ut candida lilia surgunt (c),
Ut tribulos, lappasque inter nix verna nitescit,
Inter idumaeas sponsas ita Parthenis extat.

MOPSUS

Qualis per Galaad umbrosa cacumina olentes
Depascens scandit caprearum turba genistus (d);
Qualia sole rubent autumni poma sub horam

(a) *Tota pulchra es amica mea, columba mea, et macula non est in te.* Cantic. C. I.

(b) *Sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Cant. C. V.

(c) *Sicut lilium inter spinas, sic amica inter filios.* Cant. C. II.

(d) *Capilli tui, sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad.* Cant. C. IV.

Digitized by Google

Punica ab ardenti (a), quales jam fonte capellae
Irriguo lotae, binis et foetibus auctae (b),
Parthenis effulget nitidis spectanda capillis,
Purpureisque genis, et eburni dentis honore.

THYRSIS

Cinnama odoratis stillant gratissima lignis
Gratius et redolent praedulcia balsama, odora
Myrrha placet (c), talem diffundit vertice odorem
Parthenis, alliciat mira ut dulcedine cunctos,
Cui rabidos fama est ipsos cessisse leones.

MOPSUS

Ardua ut assurgit Cyparissus monte Sionis,
Ut vernant Jericantis amoena rosaria, passim
Latis ut campis speciosa virescit oliva (d),
Praenitet haud aliter cunctis praestantior una
Parthenis aeterei niveo candore pudoris.

THYRSIS

Quaecumque apricis florescunt mollius hortis
Vere novo, tellus cum mille induta colores
Alma sinum ridet, zephyrique, auraeque tepescunt,
Deliciis nostrae fas Parthenis omnia cedant.

MOPSUS

O vos felices nimium bis terque capellae,
Parthenis e caelo si vos aspexerit aequa ,

(a) *Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae.* Cant. C. IV.

(b) *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro omnes gemellis foetibus.* Cant. C. IV.

(c) *Sicut cinnamomum et balsamum odorem dedi, quasi mirrha electa dedi suavitatem odoris.* Eccl. Cap. XXII.

(d) *Sicut cypressus in monte Sion, quasi plantatio rosae in Jerico, sicut oliva speciosa in campis.* Eccl. C. XXIV.

Non vos vicini pecoris contagia laedent,
Non urent soles, non saeva venena nocebunt.

THYRSIS

Intonsos montes, per laeta errate salicta,
Securae pecudes, quas Parthenis alma tuetur,
Nec vos sollicitent latitans malus anguis in herba,
Latronum insidiae, aut rabies malesana luporum.

MOPSUS

Ludite, crescentes hoedi, modo ludite nostri
Spes potior gregis, et curarum maxima amantis
Daphnidis, hinc nitidos faciet vos copia lactis,
Non artes, oculique mali, non carmina laedent,
Dum vos auspiciis tutatur Parthenis aequis.

THYRSIS

Silvarum quos tangit amor, pecudumque, magistri,
Si laetae cupitis silvae, pecudesque nitescant,
Parthenis ante aras noctu vigilate, diuque,
Et votis precibusque illam exorate benignis,
Illius et nomen facili resonare cicuta
Iloc nemus, hos circum colles vallesque docete.

MOPSUS

Per quae saepe tibi tulimus bona munera ad aram,
Parthenis, haec Mopsi excipias nunc vota precantis.
Me prius infernas demittite fulmine ad umbras,
Obsequiis quam deesse tuis convincar iniquus.

THIRSIS

Grata tibi cecidit si Thyrsidis hostia dextra
Per dubios casus, per caeca pericula vitae
Optatam affer opem, et Thyrsin servato leones
Immanes contra, fraudesque, dolosque luporum.

MOPSUS et THYRSIS

Ingens unde decus silvae, et tibi maxima laudis

Digitized by Google

Pars venit, adspicias propius modo, Parthenis, almum
Daphnin, et incolumem, longos praestato per annos
Laetius ut crescant tanto pastore capellae,
Pinguia et ipsa feras devoti munera ovilis.

Digitized by Google

PIO IX. P. M.

ACERRIMO RELIGIONIS VINDICI
REIQUE ROMANAE MODERATORI PRUDENTISSIMO
QUOD
PERDITISSIMORUM HOMINUM CONSILIO
E SUA DETURBATUS SEDE
ALMA URBE CEDERE COACTUS
A FERDINANDO II UTRIUSQUE SICILIAE REGE P. A. F.
LIBERALISSIME EXCEPTUS HOSPITIO
NOVEM MENSIUM SPATIO CAJETAE SIT COMMORATUS
MOX
IN PRISTINA SUI PRINCIPATUS JURA
PER CATHOLICORUM PRINCIPUM SOCIAS VIRES
PERFRACTA ADVERSARIORUM INSOLENTIA
RESTITUTUS
ANTE SUUM IN UBBEM REDITUM
NEAPOLIM PETIERIT
UT TANTAE INDULGENTIAE PERENNIS EXTARET MEMORIA
STEPHANUS VIGLIONIUS E TERRA MALETI
IN ARCHIEPISCOPALI NEAPOLITANO CLERICORUM GYMNASIO
ELOQUENTIAE PROFESSOR
PER CHROMIN ATQUE MYCONA LEVI GRATATUR AVENA

Digitized by Google

Digitized by Google

ECLOGA PISCATORIA XV.

CUI NOMEN

PALAEMON

Quum apud antiquos mithologos Palaemon Deus maris habeatur, jure per eum ad P. M. universae christianae rei Moderatorem adluditur.

MYCON

Laetum efferte caput, laetas ad sidera voces
Tollite, Sirenes, qua non felicior unquam,
Alma dies ridet festis ducenda choraeis.
Hactenus et rupes complestis et antra querelis,
Tristia cum tristes poscebant tempora curas;
Nunc canere, et meritas Superis fas pendere grates.
Concidit unda minax, Boreae cecidere furentes,
Quaeque agitata diu est, superantibus undique nimbis,
Victrix incedit composta per aequora Pistris (1).

(1) Nomine Pistris non eo sensu, quo a Virgilio Marone lib. 5 Æn. v. 116 usurpatur, heic usus est Poeta, sed quasi detorto a nomine graeco Πιστις, *Fides*, quo allegoricam Ecclesiae navim designet. Neque allatum etymon a veterum Graecorum mente, et praeceptis abludit. Perfamiliare namque erat illis in nonnullis verbalibus nominibus litteram ρ interserere, ut videre est in ορχηστρα ab ορχεομαι, *salto*, in καθεδρα a κατημαι, *sedeo*, in εσοπτρον ab εσοπτομαι, *inspicio*, et in alia hujusmodi sexcentis.

Digitized by Google

Eja agite, argutis concentibus insonet acta :
Exoptata bonus nobis Deus otia fecit,
Bella silent, cessere minae, cessere tumultus.

CHROMIS

Unde Mycon, quae tanta jubes resonare per actam
Gaudia, cum mille immineant agitentque procellae?
Anne, ut saepe solet, quod amat, mens credula fingit,
Per somnum fallax te pacis lusit imago ?

MYCON

Omnia vera cano, quaeque ipse his auribus hausi ;
Tu, Chromi, tu nescis unus, qui regnet in urbe
Partenopes rumor, motis cecidisse sub undis
Hac bacchata tenus crudelia monstra per aequor ?
Dulcibus hinc resonant laetantum vocibus orae :
Plaudite, io cives, tristes Melisaeus (1) abegit
Jam turbas, cessere minae, pax aurea regnat.

CHROMIS

O quam laeta refers ! nostrum quae gaudia pectus
Extemplo invadunt ! quid me felicius usquam est ?
O tibi, care Mycon, tali pro munere quidnam
Donem ? fulgenti variatam murice cymbam,
Cujus inest medio nivei victoria pennis :
Hanc mihi, cum Lycida certantem carmine vici,
Antigenes dedit, et jamdudum condita in arca est :
Hoc tu Mnemosynon nostri cape laetus amoris.
At modo quid studiosus agat pius, ede, Palaemon:
Quantas ille vices, quantos tulit ille labores !
Undique certantes Boreas quot passus et Euros !

MYCON

Quem Deus aetherea tutatur ab arce, Palaemon

(1) Per MELISAEUM Regem FERDINANDUM II intellige.

Digitized by Google

Vivit io sospes, nostra et securus oberrat
Littora Parthenopenque invitat ad otia, et almos
Quos ludit cantus tali jam sorte superba.

CHROMIS

Scilicet id fuerat, pompae cum nulla subesset
Causa, quod insolitis rumoribus omnia circum
Perstreperent, festiva sonum tormenta canorum
Usque darent, crebris arderet Olympia (1) flammis.
Id quoque, nunc memini, cur pluribus ante diebus
Jam soliti laevas per littus spargere voces
Et corvi, et queruli mergi, fulicaeque silerent.
Ecquis nunc teneat motos sub pectore sensus
Laetitiae? meritas renuat quis pendere grates,
Qui dederunt Superi tantum retulisse triumphum?

MYCON

O Chromi, quae festa niteant spectacula in urbe,
Quae gratae resonent laudes, et carmina Divis,
Si prope mireris, ducas nihil esse vetustas
Pompas, cum victo reges ex hoste redibant.
Qualis vere novo facies pulcherrima rerum
Ridet, humus varios circum depicta colores,
Blandius aspirant aurae, zephyrique benigni,
Sole tepet placido, concentibus insonat aër
Mellitis volucrum, vitreisque silentibus undis,
Discurrunt hilares per caerula amica phaseli,
Talis Parthenopes, veniente Palaemone, vultus.
At plausus tantos inter nos turpe silemus?
Nunc age, et a nostro quoque carmine personet aequor.

CHROMIS

Obsequar: excipias cantu tamen ipse sequaci.

(1) La *Strada di Chiaja.*

Digitized by Google

Praelia saeva Notus, fera praelia misceat unda,
Pulchrior eveniet jactato ex aequore Pistris.
Aethereo Pistris certo stat numine, nullos
Nec timet infames scopulos, syrtesque latentes,
Nec tumidum pontum, pontique natantia monstra.
Informes quoties horrenti corpore phocas
Correptam vidi caeco jactare furore;
Attamen intactam cursum tenuisse secundum.

MYCON

Quem Deus ipse regit, coeloque tuetur ab alto,
Perdere nulla valet rabies malesana Notorum.
Ille per obstantes frustra, rabidasque procellas
Tutum carpit iter, panditque insignia victor.
Quae fera tempestas supra caput adstitit olli
Noctem, hiememque ferens; horrenda quot aequora nuper
Surrexere imo jam jam ruitura profundo!
Nubibus abruptis, quot turbida fulgura, et ignes!
Clarius ille tamen motis caput extulit undis.

CHROMIS

Praelia saeva Notus, fera praelia misceat unda,
Pulchrior eveniet jactato ex aequore Pistris.
Nec timet illa Hyadas, caecas nec Orionis iras,
Cum mare, cum terras, cum coelum turbine quassat,
Nec quaecumque rates alias mala sidera terrent,
Praedonumve dolos, non quicquid ubique pericli est.

MYCON

Quem Deus ipse regit, coeloque tuetur ab alto
Perdere nulla valet rabies malesana Notorum.
Et prius astra ferent fruges, det sidera tellus,
Eois cadat, Hesperiis sol surgat ab oris,
Frangere quam fortem vis atra Palaemona possit.

Digitized by Google

CHROMIS

Praelia saeva Notus, fera praelia misceat unda,
Pulchrior eveniet jactato ex aequore Pistris.
Ante dies stellis, Phebo nox emicet almo,
Delphinus silvas, canas aper incolat undas,
Ludibrium rabidis quam Pistris debeat Euris.

MYCON

Quem Deus ipse regit, coeloque tuetur ab alto,
Perdere nulla valet rabies malesana Notorum.
Stet lupus inter oves, pisces internatet hircus,
Ignis aquas fundat, subsidant sidera ponto,
Attamen invictum vis nulla Palaemona franget.

CHROMIS

Praelia saeva Notus, fera praelia misceat unda,
Pulchrior eveniet jactato ex aequore Pistris.
Cuncta suis potius praepostera legibus ibunt,
Et prius in flammas abeant mare, sidera, tellus,
Numine quam Pistris nutet subnixa superno.

MYCON

Dicite io Paean, et io bis dicite Paean:
Victor io lustrat dum littora nostra Palaemon,
Mittite jam, socii, nassas et retia longe.
Sponte sua venient captivi ad retia pisces,
Vel si per scopulos conchas tentare placebit,
Inde etiam pleno manabit copia cornu.

CHROMIS

Ludite festivos, socii, modo ludite cantus,
Victor namque sibi fieri meret ista Palaemon,
O quantum ex illo cunctis celebrabimur oris !
Solvite cessantes naves, dabit ipse per aequor
Planum iter, ac tutum , ventosque in vela secundos.

Digitized by Google

MYCON

At quid statis adhuc pelagi decus, aurea proles,
Huc modo, Sirenes, festas miscere choreas,
Carminibus dignum centum celebrare triumphum,
Insuetisque modis efferre Palaemona ad astra ?

CHROMIS

Vos et Sebethi lenes quae statis ad undas
Carpentes teneros flores, et gramina circum,
E viridi, Nimphae, nunc sertum intexite myrto,
Victricem Pistrin merita donare corolla.

MYCON

Vos Mergellinae quaeis pulchrior obtigit ora,
Pausilypique Deae, vicinos currite colles,
Et plenis calathis manibus date lilia plenis,
Dein hilares circum jactate ad sidera voces :
Errat io sospes per littora nostra Palaemon.

CHROMIS

Ante alias vestrum, nymphae Craterides ; opto
Nunc studium : e duris evulsa corollia saxis
Ferte mihi celeres, pingui et conchylia succo.
His ego pro meritis decorabo Palaemona donis.

MYCON

Sit, Chromi, nunc cecinisse satis : sol deserit altos
Montes, nosque manent per noctem plurima agenda.

CHROMIS

Sed prius haec Euris geminos proferre sub axes
Carmina mandemus nullum peritura per aevum.

CHROMIS et MYCON

Praelia saeva Notus, fera praelia misceat unda,
Pulchrior eveniet jactato ex aequore Pistris.
Quem Deus ipse regit, coeloque tuetur ab alto,
Perdere nulla valet rabies malesana Notorum.

Digitized by Google

HIERONYMO DE ANDREA

S. R. E. TIT. S. AGNETIS

EXTRA MOENIA AMPLISSIMO CARDINALI

CHRISTIANAE REI DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS

ACERRIMO PROPUGNATORI

LITTERARUM ET MERCURIALIUM VIRORUM

STUDIOSISSIMO PATRONO

CUM PRIMUM PURPURA INSIGNIS

MENSE SEPTEMBRI INEUNTE

NEAPOLIM SUOS INVISURUS PETEBET

STEPHANUS VIGLIONIUS

PRO SUO IN TANTUM VIRUM OBSEQUIO

PER MOPSUM ET CORYDONA LEVI GRATATUR AVENA

Digitized by Google

Digitized by Google

ECLOGA PASTORALIS XVI.

CUI NOMEN

ARISTAEUS*

PASTORES

Corydon et Mopsus.

CORYDON

Pulverulenta diu quid cessant nablia, Mopse,
Queis pecudes mulcens olim, pecudumque magistros
Argutas late sylvas resonare docebas,
Seu tristis saeviret hyems, seu Sirius agros
Ureret, aut tranquilla forent jam cuncta per agros,
Aut lupus insidias pecori, et fera damna pararet.
Quid nunc turpe silent, circum nemus omne eicutas
Dum resonat? tacito quas versas pectore curas?
Qui casus, quae fata premant, affare rogantem.

* Nomen hoc effictum a Poeta est a graeco nomine ἄριστος, quod *optimus* latine sonat, deductum, et in rem praesentem apprime quadrare videtur.

Digitized by Google

MOPSUS

Nullae me, Corydon, curae, neque tristia tangunt
Fata, sed assiduam haud aequum est tractare cicutam.
Omnia tempus habent, gravidis neque semper aristis
Canet humus, verno neque semper flore renidet,
Mitibus aut pomis Autumnus ridet in hortis :
Tempore quaeque suo sic et peragenda magistros
Multa manent, non usque leves urgere Camoenas.
At quae causa subest agitandi gaudia sylvis ?

CORYDON

Gloria Sebethi, nemoris decus istius ingens,
Arcadiam petiit primo qui flore juventae
Agrorum ut cultus, legesque, et jura tuendi
Disceret alma gregis, meritis insignibus auctus
Venit Aristaeus, tanto quis jure magistro
Non plaudat, renuatque bonae dare munera laudis ?

MOPSUS

Dulcis Aristaeus, quo non jucundior alter
Arcadia sonat in tota ? cui magna per agros
Fama volat, viresque novas acquirit eundo ?

CORYDON

Scilicet, et merito primis nam callidus annis
Infestas tenuit sylvas, monstrisque subactis,
Per mala, per clades, per mille pericula vitae
Incolumes servavit oves, et fronde benigna
Jam pastas, nitidasque levi permulsit avena.

MOPSUS

Quantus Aristaeus rabidos prosternere tigres,
Immanesque feras fuerit, vos dicite testes,
Arcadiae colles, rupes, vallesque reductae :
Agmine cum facto, violenti turbinis instar
Omnia vastantis, coeco stimulata furore

Digitized by Google

In vos irruerunt immitia monstra; procaci
Quantae fronte minae ! quantum feritatis in ore !
(Mens horret meminisse) ipsum vel Pimena summum
Pastorem lacerare parant, jam jamque vorassent,
Praevalido Superum ni Pimen numine staret.
Protinus aufugit perterrita fida canum vis,
Pastores trepidare omnes, trepidare magistri
Et petere hinc alio terras sub sole calentes.
Unus Aristaeus cunctis generosior iras
Vesanas contra tutatus ovile ferarum est
Non jaculis, fundaque usus, non fortibus armis,
Pectore at impavido, et metuendae fulmine vocis (a);
At si tantus adhuc primo florente sub aevo,
Quid firmata virum simul illum feceris aetas ?

CORYDON

Felices nimium tanto custode capellae,
Vicini pecoris quas nec contagio laesit,
Nec tristes oculi, neque cocca venena sub herbis,
Auspice Aristaeo minitantes spernere tigres
Et salices licuit securas carpere, circum
Caetera ab hostili fremerent dum rura tumultu.

MOPSUS

Dulcia Aristaeum modulantem carmina plectro
Miratae toties fagi, vos dicite testes,
Cum pecudes mulceret agros, et prata legentes,

(a) Adluditur ad difficillima illa tempora, cum perditissimi homines ex omnibus terrarum orbis partibus Romam convenientes, gravissimas in ea turbas excitarunt, ut ipse P. O. M. qui sub nomine Pimenis heic designatur, et omnes fere Cardinales illinc exulare sint coacti. At Hieronymus de Andrea cum legati munere apud Helvetios fungeretur, raro constantiae et fortitudinis exemplo suum ingenti gradu tenuit locum.

Digitized by Google

Seu bene jam pastas liquidis mersaret in undis,
Aut septo inclusis sera sub nocte capellis,
Fervida coelicolas in vota, precesque vocaret,
Incolumes praestent ut oves, oviumque magistros.

CORYDON

Orphea jam sileat lapides et saxa moventem
Fabula, Aristaeum nam nos suspeximus ipsi
Audentem majora lyra, et modulamine vocis,
Quam tigres sensere ipsae, sensere leones,
Illum cum posita rabie, quocumque vocantem
Sectati extemplo, et mixti cum mitibus agnis
Inter oves mirum! dulces miscere choreas;
Vocis ad arbitrium cautes mollire rigentes
O quoties visus, riguosque educere fontes.

MOPSUS

Gentis idumeae fuit olim gloria David
Ausus in adversos animosior ire leones,
Gloria Aristaeus Sebethi major, et almae
Arcadiae columen, forti qui robore dextrae
Fretus, et ingenio graviores perdidit hydras,
Horrendas tigres, ursos, et monstra cruenta.

CORYDON

O invicte heros, placido te lumine semper
Spectat ab axe Deus felicia coepta secundans,
Te circum colles, te Tibris ad aethera tollit,
Te Nymphae, resonant pulsae te carmine rupes,
Tergeminae fulges tu dignus honore corollae.

MOPSUS

Tanti sed decoris Lycidae (a) pars maxima cedit,
Cujus adhuc nomen cunctis celebratur in oris,

(a) Per *Lycidam* heic JOANNES DE ANDREA Dyn. Neapolit. in-

Fagisque inscriptum discent in secla nepotes,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis,
Spectatis siquidem, clarisque parentibus ortus
Ille tulit talem nobis, aluitque magistrum ;
Prolem nam similem generant plerumque parentes ,
Sic laus magna venit patriae ab virtute juvencae :
Optima poma feret sic arbos optima campis,
Quam catus assidua produxerit arte colonus.
Quanta illi virtus ! quantus pietatis et ardor !
In sylvas et oves quanto flagrabat amore !
Innocuus, prudens animi, sectator honesti,
Numinis et Superum quo non reverentior alter
Extitit aut aequi servantior ullus, amice
Consiliis protecta suis cum rura vigerent.

CORYDON

Hunc memini celsae projectus ad ilicis umbram
Me puero, hunc Damon Lycidam plorabat ademptum
Crudeles vocitans Nymphas, crudelia et astra,
Talem passa virum fato occubuisse supremo
Aurea qui saecla, et bona fecerat otia sylvis
Illius auspiciis tenuit cum rura Menalcas (a).

MOPSUS

Relligio, inculpata fides, moresque pudici ,
Pallas, et alma Themis, Pietas, Charitesque benignae
Per Lycidam heic raro sunt visae fulgere cultu:
In pretio calamus, magno tum carmina honore,
Flumina tum lactis, tum flumina nectaris ibant :

telligitur amantissimus HIERONYMI Parens, qui FERDINANDO II. P. A. F. ab interioribus regni consiliis fuit, vir antiqui moris , vitae integritate, morum probitate ac facilitate singularis.

(a) Sub hoc nomine FERDINANDUS II.P.A.F., quem Deus sospitet quam diutissime, designatur.

Digitized by Google

Securae pecudes per amoena salicta legebant,
Omnia pacis erant, et summae plena quietis.
Caetera quid memorem ? fatali funere mersum
Ipsae te, Lycida, tigres, te turba leonum,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta gemebant.

CORYDON

At quo prosiliit calamus ? jam Vesper olympo
Processit, late nox agris incubat atra,
Et saturas opus est pecudes includere caulis.
Haec et plura alias, cum Pastor jusserit ipse,
Per nova facta novas in laudes ire, canemus.

Digitized by Google

Flebilibus sua damna modis Urbs plorat, opemque
Ut rediens praestet, postulat aegra Pium.

ELEGIA V.

Ingratas, Pater alme, moras jam rumpe, quid ultra
  Laetior ore micat terra aliena tuo?
Diceris ipse Pius: pietas, et gratia Natae,
  Te lacrymae, et gemitus, te moveantque preces.
Te cedente, simul Pax cessit amica, Fidesque:
  Hinc pudor, et pietas cessit, et omne bonum.
Illorum inque locum subiit discordia demens,
  Audax ambitio, diraque perfidia.
Dejectis portis (a) oris ex omnibus acres
  Irruerunt hostes dilacerare sinum.
Jamque tuis demptis, celsas posuere per arces
  Signa sua imperii conspicienda novi (b).
Inque rubum arentem conjectus stridet ut ignis,
  Non secus exarsit gens inimica mihi (c).

(a) Omnes portae ejus destructae. *Jerem. Thr. I. cap. I.*
(b) Posuerunt signa sua, signa. *Psal.* 73.
(c) Exarserunt sicut ignis in spinis. *Psal.* 117.

Digitized by Google

Flammatas tauri spirantes naribus auras
  Me miseram immites nocte dieque petunt.
Illa ego, quae late terras ditione tenebam,
  Nunc captiva adigor non patienda pati (a).
In me sunt alias caeco bacchata furore
  E stygio veluti concita monstra lacu.
At nunquam jacui tantis depressa procellis,
  Haud capiti incubuit tanta ruina meo.
Immanes olim ferro flammaque tyranni
  Armarunt rabidas in mea fata manus :
Majores animos, robur sed firmius ipso
  E ferro sumpsi damna per atra mihi.
Attila Christiadum dictus furiale flagellum
  Vertit in has arces signa cruenta ferox ;
Sed rabie posita, simul os habitumque leonis
  Aspicit, hinc alio fulmine ut ictus abit.
Nunc saevis premor usque malis, premor usque ruinis,
  Nec mea per noctem fletibus ora vacant (b).
In me nulla manent veteris vestigia formae,
  Tam foede indignis sordeo inusta notis.
Vix me conspexit, tota cum mente viator
  Obstupuit, tales tum dedit ore sonos :
Haeccine perfecti Urbs decoris, quae nempe voluptas,
  Deliciacque olim totius orbis erat ? (c)
Nimirum raris quibus ipsa superba micabam (d)
  Possidet ablatas hostis adeptus opes.

(a) Princeps provinciarum facta est sub tributo. *Jerem. cap. II.*

(b) Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus. *Jerem. Ibid.*

(c) Omnes transeuntes viam... haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae ? *Id.* ibid.

(d) Misit hostis manum suam ad omnia desiderabilia ejus. *Id.* Ibid.

Digitized by Google

Templorum jacuit majestas illa verenda,
Attonitae turbae quam stupuere diu.
Scilicet ingressae, nullo prohibente, profanae
Sacrilega gentes diripuere manu.
Quae prius aera pios ad vota precesque vocabant,
Instrumenta ferae facta repente necis,
Regales moles, veterum decora alta parentum
Marte excussa gravi diruta paene jacent.
Compita caede madent, luctuque miserrima, pompas
Per quae sollemnes ducere moris erat,
O ubi sunt tyriis Patres in vestibus, omne
Per quos ante decus, praesidiumque stetit ? (a)
O ubi sunt vigiles, quorum virtute quietas
Fas erat et noctes ducere, et usque dies ?
O ubi sunt nati, rebus spes maxima nostris,
Pars animae potior, nobiliorque meae ? (b)
Moereo sola piae haud plebis stipata corona (c),
Militis at passim perfurit ira minax.
Cara quibus fueram, cesserunt longius, aegrae,
Nec mihi solamen qui ferat, ullus adest (d).
Alma sacerdotum viduis gens cedere templis (e)
Cogitur, et sacris ingemit acta malis.
Amisso integrae squallent custode puellae (f),
Sordida, panis egens, plebs alimenta petit (g).

(a) Adluditur ad S. R. E. Cardinalium Collegium.
(b) Designantur extorres Religiosorum familiae.
(c) Quomodo sedet sola civitas plena populo. *Jerem. Thr. cap. I.*
(d) Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. *Id.* ibid.
(e) Sacerdotes ejus gementes. *Id.* ibid.
(f) Virgines ejus squallidae. *Id.* ibid.
(g) Populus gemens, et quaerens panem. *Id.* ibid.

Digitized by Google

Depositae similis jaceo tellure sub ima (a)
  Usque adeo vitam tristia fata premunt !
Nec tenerum tangunt natae tot damna Parentem?
  Pectoris estne Pio non pius iste rigor?
Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen,
  Omnia per Superum numina amica precor,
Ingratas, Pater alme, moras jam rumpe, dolentis
  Quaque vales dextra, vulnera facta leva.
Haud ita turbinibus cum jam desaeviit aër,
  Sole micante, dies gratior axe nitet;
Haud ita post Boreae furias, et frigora brumae,
  Candidiora novi tempora veris eunt;
Ut tuus affulget nobis post praelia vultus,
  Pacis et optatae munera plena refert.
Incipiamque novam per te tum vivere vitam,
  Auspiciis tutam tempus in omne tuis.
Sic Pius ipse Parens cunctis memoraberis oris,
  Sic melior nostri conditor alter eris.

(a) Deposita est vehementer non habens consolatarum. *Id.* ibib.

Digitized by Google

Quae sequuntur lyrica carmina, ab Auctore, dum Aversae humaniores litteras doceret, data fuerunt.

IN DIVI CAROLI BORROMAEI LAUDEM

ALCAICON I.

Perosa terras, imaque vallium,
Pimplaea, sedes quae colis igneas,
Interque coetus sanctiores
Serta geris peritura nunquam,

Descende Coelo nunc age, et aureo
Canora plectro rumpe silentium,
Tuosque vatum jam recessus
Quae nova turba subit, faveto,

Quem tu benigno lumine videris
Primis sub annis, non sibi praeripit
Laurus caducas, sed perenni
Laude viget meritis petita;

Ille et protervis trans maris aequora
Curas edaces ferre dabit Notis
Beatus aeque per secunda,
Aut per iniqua et acerba rerum:

Digitized by Google

Recti tenacem non opus invidi
Livoris illum, non populi furor,
Minacis aut vultus tyranni
Mente queant solida movere,

Testis mearum, gloria praesulum,
Sententiarum, Carolus, unice
Amore ferventem superno
Quem attonitae stupuere gentes

Inter salebras, et juga montium
Sprevisse vitae mille pericula,
Nullaque perfunctum quiete
Plebis utin melius referret

Mores ruentes. Scimus ut integer
Iniqua passim monstra subegerit
Erroris, impiaeque fraudis
Aethereae auspiciis Camoenae;

Diuque ducti dogmata Concili,
Firmata dextro numine Caroli
Quid debeant testantur ipsi
Alma fides, pietasque in aevum.

Quid rite faustis sub penetralibus
Exculta possent pectora, protinus
Sensere gentes, quot sub axe
Phoebus obit radiante curru:

Post hoc secundis nempe laboribus
Ceu de profundo pulchrior extitit
Virtus, et insanos in ausus
Sumsit opes, animosque grandes.

Digitized by Google

Vi miles acri non ita supprimit,
Adversa victor fundit et agmina,
Jam callidus Martis palaestram
Regis ad imperium severi.

Subacta sacris ut redit impigra
Juventa ludis, cedere nescia
Ut impiorum agat catervas
Omne nefas animo moventum (a).

Hinc dira sensit fraena licentia,
Hinc civitatum res melior stetit,
Lateque discussis tenebris
Recta sequi didicere morum,

Dixitque tandem turpius ingemens
Orci tyrannus, concidit imperi
Spes omnis, et fortuna nostri
Robore non tenui impetita,

Quo tendis ultra? non humili datur
Lyrae, excitatum consilium, Deo
Auctore, justa ferre laude
Sume pares, Erato, labores . . . . .

(a) Adluditur ad seminariorum institutionem Divi Caroli praesertim opera in Tridentino Concilio decretam.

Digitized by Google

IN HISTORIAE LAUDEM

ALCAICON II.

Quo Phoebus acri me rapit impetu?
Quae digna sacro verba silentio
Dicam, profanis hinc remotis,
Historiae meditans honores?

Dura paratas sollicitudine
Fortuna saevo versat opes joco
Praeclara gazis, et magistra
Arte ruunt monumenta ab annis.

Gemmata Regum sceptra ligonibus
Sors aequat una, et pernicie gravi
Aggesta passim volvit imum
In tumulum peritura longa

Nocte: intumescit flumen ut imbribus,
Late aestuanti proruit alveo,
Et cuncta devastat per agros
Sic rapiet malesana gentes

Vis usque leti. Tu tamen invides
Clio tenebris laude viros bona
Dignos, et incisis tropaeo
Marmoribus potiore donas.

Digitized by Google

Dicenda natis scilicet ultimis
Tuo manebit gloria munere
  Secura, diversas sub oras
    Quam populi stupeant jacentes.

Decepta Muti dextra satellite
Invicta sacris ignibus hactenus
  Ardescit : immensis catervis
    Unus adhuc metuendas instat

Cocles : cruento plus vice simplici
Marte impetitos jam tenet insolens
  Vejos Camillus , cujus ingens
    Auspiciis decus arrogatum

Romae: minaci scimus ut impetu
Gallos refringens pondere turpiter
  Auri rependendam corusco
    Ense ferox repararit ille :

Hinc et secundis res melior stetit
Romana coeptis, aurea et imperi
  Signa extulit, qua agros propinquis
    Sol radiis hyemesve adurunt.

Virtutis altrix sedula, et artium
Lumen bonarum, compositas beas
  Tu, Diva, coelo, aptisque mores
    Legibus instituis tabellas

Ceu per magistras. Martis in aleam
Te , miles atram cum ruit impotens,
  Spectant severo te tyranni
    Urbibus imperio caventes.

Digitized by Google

Robusta pubes te colit, improbis
Tu semper adstas fida laboribus,
Te civitates, te celebrant
Quot tenuit decoris voluptas.

PARAFRASI

Dove col tuo possente
Nume mi sbalzi, o Febo, ed in quai note
Rompo di sacro degne alto silenzio?
Lungi, profana gente,
Dell'alma Clio dirò le glorie ignote.

Con tanti stenti e affanni
L'ammassate dovizie al vento sparte
Van gioco di fortuna, al suol rovinano,
Dal peso di lunghi anni
Gli alti palagi d'oro ricchi e d'arte.

Sovrasta a tutti eguale
Necessità di morte e rovinio,
Gemmati scettri e zappe insiem rimescola
L'ultimo dì fatale,
E in sen li danna di un eterno oblio.

Fiume, che dalla sponda
Traboccar feo gravido nembo infesto,
Con larga piena e soverchiando gli argini
I culti campi procelloso innonda:
Tal è di morte il ruinar funesto.

Digitized by Google

Sol tu gli eccelsi eroi
Furi alla tomba, o Clio, ch'e vita, e onori,
Quegli tuttora hanno, ed avran durevoli
Negli aurei libri tuoi,
Di bronzi e incisi marmi assai migliori:

Tua gran mercè s'udranno
L'alme virtù lodare, ed i divini
Lor conti gesti anch' a' più tardi posteri:
Tutti gli stupiranno
I popoli lontani, ed i vicini.

Muzio veder già parmi,
Che dal fallito colpo, e dalla brace
Più bella toglie di un trionfo gloria:
Di fier torrente all'armi
Far testa Coclite, e insultare audace.

Con sanguinosa guerra
Lunga stagion battuta alfin cadeo
L'opima Vei, ma di Camillo è l' inclito
Gran vanto che l'atterra,
Per cui più caro ognor rise il Tarpeo.

E ben sappiam, che doma
Dei Galli vincitor l' insana possa
Ei fu, ch'oppose all'armi brando impavido
E disgombrò di Roma
Il miserando caso ond'era scossa.

Di sempre fauste imprese
Crebbe d'allor il roman nome altero,
E fin là dove il verno, o il sole infuria
Su popoli distese
Le riverite insegne dell'impero.

O Diva, chiaro lume
Delle belle arti, e lettere, tu crei
Invitti eroi, tu di virtù benefica
Madre, tu del costume,
E della vita alta maestra sei :

Il pro guerrier te mira,
Quando di morte sprezzatore, irato,
Qual feroce lion nell'oste lanciasi :
A'tuoi favori aspira
Colle severe leggi il magistrato :

Te celebra il robusto
Giovane stuol, tu lena infondi e ardire
Nei gran cimenti, le città rilucono
Pel tuo splendore augusto,
Te cole ognuno, ch' ha d'onor desire.

Digitized by Google

IN LAUDEM DIVI DOMINICI

ALCAICON III.

Quae docta vatum cura, vel ingeni
Vis magna plenis muneribus tuas,
  Gusmane, virtutes in aevum
    Per titulos, meritasque laudes

Aeternet? oras desuper aspicit
Quascumque Phoebus, scilicet impiis
  Sensere devictis beatum
    Te fidei decus arrogasse.

Excita ab umbris monstra acheronticis,
Furore terris concita turbido,
  Caecaque debacchata fraude
    Exitium grave dum minantur;

Haud segne quamvis restiterint diu,
Coeli benigno numine contudit
  Gusmanus, errorumque turmas
    Auspiciis pepulit secundis.

Insanientis sic Boreae simul
Horrenda late concidit impetu
  Vis turbinis, pulcher renidet
    Sole dies melius nitente;

Digitized by Google

Ut risit almis tempora laureis
Decora circum Relligio, impiger
Cum regna, et urbes, montiumque
Transgrediens juga celsa, et undas

Ille et nefandas dispulit haereses,
Templisque et aris protinus addidit
Priscum nitorem, tum decenti
Sacra iterum micuere cultu:

Dixitque tandem luridus ignium
Tyrannus eheu! concidit imperi
Spes omnis, et fortuna ab uno
Hoste gravi penitus revulsa.

Te Cantaber, te Graecus, et Italus,
Te pervicacis Gallia pectoris
Mirantur, o tutela praesens
Christiadum, Fideique custos:

Te erepta certis Roma periculis,
Polonus, Anglus, te colit Insuber,
Te cuncta terrarum tuorum
Praesidio reparata norunt.

PARAFRASI

Qual mai fecondo ingegno,
Qual più sublime impegno
Di vate appien lodar potrà tue glorie,
Gusmano, in dotto metro, onde n'impari
Ogni futura etade i pregi rari?

Cinto di vaga luce
A quante Febo adduce
Il chiaro dì, tutte le genti appresero,
Che domi gli empii troppo ormai molesti,
Più bello all' alma Fe splendor giungesti.

Quai belve inferocite
Dal nero averno uscite,
Guerre mescendo aperte a cieche insidie,
Immensa piena di mortal veleno
Versato avevan della terra in seno;

Quando dal Ciel protetto
Con invincibil petto
Comechè riottosi il gran Domenico
L'assale in tal sanguinolente guerra,
Che tutto a un colpo il folle ardir ne atterra.

Così degli Aquiloni
Dopo le rie tenzoni,
Dal Ciel disgombro il procelloso turbine,
Di vaghezza maggior risplende il giorno
E pare il Sol di più bel raggio adorno,

Con le sue chiome d'oro
Cinta di fresco alloro
Rise Religion, poichè sollecita
Scorse cittadi, e regni, e rocce alpine,
E di timor le sparse onde marine;

Sgombrando la genía
Dell' infernal resia,
Rendendo da per tutto all'are, ai tempii
Del venerando culto il prisco onore,
Che rapito le avea l' ostil furore.

E disse alfin l'altero
Prence del tristo impero:
Cadde, ahi lasso! già cadde ogni mia gloria,
E del mio regno la gagliarda possa
Giace sbattuta da una orrenda scossa.

Te la cantabra gente,
Te lume ognor possente
Appella di sua fe, te chiama l'Italo
Il suo sostegno, tal pure il sagace
Greco, e il Francese, cui la guerra piace.

Umile a te s'inchina,
Ritolta alla rovina,
Roma; te l'Anglo ed il Polono venera,
Te Insubria e tutta la terrena mole
Grata a'tuoi merti riverisce e cole.

Digitized by Google

Inter virtutes, quae ingenuum juvenem decent,
non ultimum sibi locum vindicat Silentium.

ALCAICON IV.

Virtutis arctam currere semitam
Condiscat ungui de tenero puer,
Duraque consuescat palaestra
Regis ad arbitrium severi:

Divum ille cultor sedulus impia
Fraude extimescat numina laedere
Coelestis aeternique Regis,
Et tumidas animi retundat

Passim jubentes coeca cupidines:
Non ille, avitis si titulis domus
Effulgeat, rebusque abunde,
Desidia hoc jaceat supina;

At luce fulgens seu caput efferat,
Seu Phoebus alto condat in aequore,
Musas frequentet, unde verum
Et decus, et petitur voluptas:

Musas sequetur quisquis amabiles,
Damnosa quas non imminuat dies,
Non ira ponti, non latronum
Vis rapiat malesana, largas

Gazas parabit: nomen in ultimas
Injuriosi temporis integer
  Extendet oras, et jacentem
    Spernet humum fugiente penna.

Ille et protervis transmaris aequora
Differre ventis tristitiam, et metum
  Tradet, tumultus inter ipsos
    Otia, cui faciunt camenae.

Hac arte saevi Martis ab alea
Fessas cohortes Caesar ubi abderet
  Castris, amicos sub recessus
    Pieridum recreabat atris

Jactata curis pectora: barbaris
Pressus periclis orbe in inhospito
  Pelignus hac vates geluque, et
    Dura fugae mala temperavit.

Dulce et decorum est rite parentibus
Parere, vitae commoda plurima,
  Et ampla natorum in parentes
    Dona feret pietas sub astris.

Est et severo summa silentio
Laus, cuncta fari tempore qui suo,
  Commissa qui callet tacere,
    Et bonus, et sapiens feretur.

Digitized by Google

IN ILLA SCRIPTURARUM VERBA

Non est aliud sub coelo nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri

APOSTROPHE AD HEBRAEOS

ALCAICON V.

Delicta majorum immeritus lues,
Hebraee, donec dulcia noveris,
  Antiqua Mosis exsecratus
    Mente nova juga ferre Christi.

Victo e sepulcro cum semel extitit,
Hic nempe cunctis certius additus
  Pignus salutis, quem neganti
    Mille tibi mala pertimenda.

Formidoloso hinc robore militum
Adortus urbem plus vice simplici
  Romanus, et vastata ferro
    Cuncta ruit sine clade victor.

Jam nec propinquam nubibus arduis,
Novique templum postibus enitet
  Cultus, et ablatis decora
    Sacra micant aliena gemmis.

Jam nulla terris certa manet tibi
Sedes, ferarum more vagantium
  Qua parte debacchantur ignes,
    Quave nives, viduo sacellis.

Digitized by Google

Primum in cruentam fatidicum necem
Egit parentes caeca protervitas,
Morisque aviti pertinaces
Sanguineis violare dextris

Ipsis verendum coelicolum choris
Verbum Donantis, missus ab aethere
Qui voce, et exemplis ruentum
Fata hominum in melius referret.

Hinc pervagata tabe nocentior
Aetas ne potum fluxit, et impio
Errore mentem praepedita
Consenuit scelere in parentum.

Per mille quamvis bella, pes horridas
Ubique caedes pulchrius extulit
Non ense, non furore belli
Imperii nova signa Jesus.

Extructa Divis templa nefariis
Augusta Jesu nomine personant,
Priscaeque abominata genti
Crux apices decorat Tyrannum.

Crux una Averni diruit impetum,
Crux et frequentum gloria Coelitum
Virtute servatis potenti
Pandit iter superas ad aedes.

Jam nunc vetustae nequitiae modum,
Hebraee, ponas, servitio et gravi
Lateque victrici per aevum
Adde cruci tua colla Christi.

Digitized by Google

IN HEBRAEORUM PERVICACIAM

NOVAM CHRISTI LEGEM ABNUENTIUM

ALCAICON VI.

Mota ex hebraea bella superbia,
Diuque caedes Christicolis graves,
Causas et irae, fluxit atrox
Unde lues veniens in aevum

Dicam. Obsoletis plus nimio patrum
Dum nempe servit relligionibus,
Abominata morte pejus
Jam refugit nova jussa legis.

Qualis profundi cum Notus arbiter
Insurgit atro turbine, et improbis
Totum procellis vertit ima
Sede, nihil solet emoveri

Edura cautes, propositi tenax
Sic perstat Heber, mille licet modis
Tentatus, ut Mosis relictis,
Sacra Deo ferat aequiora.

Mentem superno numine percitos
Audire vates jam videor novae
Salutis, Auctoremque pacis
Longius in populos canentes.

Digitized by Google

Jamque ipsa summi progenies Patris
Delapsa Olympo terrifico tonat
Nunc ore, blandis nunc rigentem
Duritiem precibus fatigat,

Monstrisque, vulgus quae stupet insolens;
Praecepta passim quot sibi pectora
Mors indolet! perfractae ab illo
Tartareae quoties catervae

Testantur ingens numen, et expavent.
At o frenesi quid furis impia
Hebraee? quid Jesum veneno
Viperco velut altus urges ?

Divina carpis scita nefariis
Miracla, et actus criminibus, sibi
Mentesque devotas ad iras
Exacuis violens, et arma.

Eheu! paratu mens trepidat fero
Mortis, cruenta ut membra flagris rubent.
Ut ora livent! vepribusque
Tempora dissiliunt adactis!

Ut felle poto, languet, inaestuat
Saevis dolorum fluctibus obrutus,
Clavoque confixus trabali
Fata subit miserante nullo!

Quid quaeris ultra? pulchrior evenit
Victo e sepulcro Christus, et aurea
Signa explicat, late per orbem
Quae populi venerentur omnes.

Hoc major illum sed furor abripit
Stricto per urbes ense minax cruci,
Jesuque sacratis supremum
Exitium meditatur aris.

Testis mearum, e martyribus prior,
Sententiarum, nomine quem suo
Jactis laborata e lapillis
Serta polo decorant recluso.

Versata queis non motibus aestuat
Judaea in unum Christicolum genus?
Qui campus, aut ignara belli
Cladibus ora vacat nefandis?

O nata Divum laudibus et jocis,
Quo musa tendis? desine tristium
Tandem querelarum, lyraque
Quaere modos leviore mecum.

Digitized by Google

Ingenuus adolescens litterarum rudis suarum cupiditatum ludibrium.

ALCAICON VII.

Qualem, furenti cum ruit impetu,
Lateque pugnax pontum Aquilonibus
Permiscet insanis procellis
Sede Notus violens ab ima,

Navem fatigant aequora fervida,
Videre pubem est ingenuam licet,
Nullas at excultam per artes
Ingenuas animum: furentum

Quam vis adurget nempe cupidinum
Inepta, discors ipsa sibi, impotens
Versatur huc illuc amore,
Aut odio temere incitante.

Probanda spernit, quae modo spreverat,
Sectatur ultro: ludibrium levis
Aurae tumescit, pallet, alget,
Invidia exeditur maligna.

Vanisne saeram legibus, in dies
Inusitatis quas variat modis
Libido, te vestes, conchaeque
Sic habeant, lanientque curis?

Digitized by Google

Cessas? perurunt taedia, cursitas
Theatra, et urbem? sollicitudines
  Instant, voluptatum nefandis
    Illecebris recreare tentas

Mentem aestuantem? stulta laboribus
Quantis in horas impedies caput;
  Quanta laboras in Charybdi
  Cuncta fretis rapiente caecis.

Damnosa quid non imminuit Venus,
Mollem catena cum juvenem tenet?
  Quid non procaci vertit ausu?
    Unde manus cohibet nefastas?

Tu Musa leni consilio regis
Levem juventam, solvere tu potens
  Amara curarum secundis
    Temporibus dubiisque rectum

Pectus tueris: blanditiis tuis
Si quem occuparis, non rapit improba
  Auri cupido, aut expetitae
    Sollicitant species honorum.

Tu vatis ingens praesidium meum
Primis ab annis, tu decus aureum,
  Coeptis amicum saepe Numen
    Rite tuum faveas vacanti.

Hostilis usus incursionis allegoria, impios Enciclopedicorum conatus, qui superiori saeculo in sacra Biblia, Religionis arces, Moysen praesertim et Prophetas debacchati sunt, insectatur poeta. Cum autem a conviviorum intemperantia haec primum exorta fuerit impietas, inde quoque facto initio omnes ejusdem gradus perstringuntur.

ALCAICON VIII.

Quis concitati pectoris impetus
Me vasta praeter devehit aequora
Auro renitentes in aulas,
Laetitia et penitus procaci?

Videtis? an me pascit inutilis
Imago? lusus inter ionicos
Jam versor, et blandis videre
Jam videor dapibus benignas

Mensas. Lyaei quo ruit impotens
Vis illa caeca macta superbia?
Virtute firmatas tonantis
Vertere Relligionis arces?

Tenello ab ungui signa sub impia
Merere doctus proruit hinc ferox
Voltaerius, nunc fraude tecta,
Nunc jaculis nociturus atris.

Digitized by Google

Assurgit ardens hinc Diderotius,
Hac imminet Russojius, horrida
Tormenta, et insanae parantur
Inde Lametriadi cohortes.

Ut tristis urget turba simul ducem
Insigne Mosen Imperii decus,
Opesque divinas tuentem, et
Fata piae veneranda gentis!

Vates ne plenos Numinis intime
Miratus olim quos populus, notis
Nunc mordeat foedis perustos
Hostis ad arbitrium nefandi?

His alta primum monstra furoribus
Abrupto ab imbri flumen ut aestuans,
Late evagari, tum quietas
Sanguineis furiare mentes

Diris : tumultu concita turbido
Quot bella, saevis cinctaque: luctibus
Ad arma cessantes ad arma
Sollicitant. Labefacta ab imis

Nutat columnis Relligio; quibus
Pepercit aris foeda licentia?
Quid uspiam sancti relictum?
Quid sceleris, maculaeque purum?

At o parentum prodigialium
Proles, nefasti desine consili, et
Ausis repugnantis superbis
Numinis imperium, gravemque

Pavesce dextram. Scimus ut improbos
Olim gigantas molibus arduis
Ad astra tendentes tonitru
Distulerit pavidos per omnes

Terras. Protervis scilicet Africis
Incoepta debent ludibrium tua
Te jura, et urbes exsecrantur
Perniciem opprobriumque mundi.

Frustra impetitis major et arcibus
Vis arrogata est: clarior ultimas
Ducente victrices phalanges
Mose, Fides sua signa in oras

Extendit. Ohe desine, desine:
Confracta tellus, astraque corruent.
Stabunt at aeternum, Supremo
Quae Superum placuere Regi.

Digitized by Google

IN HUMANI GENERIS SERVATORIS ANASTASIN.

Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus, et laetemur in ea.

SAPPHICON I.

Ipse quam fecit Deus, alma fulget
Jam dies festis cytharis agenda.
Laetus exultet modo quisque curis
Liber ab atris.

Excitus dulci velut e sopore,
Morte qui nuper cecidit nefanda,
Rursus en vitae potiore gaudet
Munere Jesus.

Corporis divi vacuum sepulcrum
Aliger saxo monet evoluto,
Testis et miles stupida supinus
Mente fatetur.

Plaudite; immanis vetus ira averni
Latius terras dominata cessit
Impotens, ditis cecidere justo
Jura duello.

Digitized by Google

Emicat sceptro merito decorus
Coelitum princeps, hominumque Christus
Clausa et antiquum scelus ob parentum
Regna recludit.

Bella quis posthac trepidabit orci
Principe hoc rerum moderante summam,
Unde coelestum refluit bonorum
Copia dives?

Digitized by Google

Honores sine litterarum ornamento nihili esse ducendos.

SAPPHICON II.

Nullius magnum decus est honoris,
Nulla quem Pallas decoret benigna
Laurea, rerum per acuta certo
Numine tutans.

Non enim gazae, neque fulgor ostri,
Sceptra nec gemmis gravia, aut satelles
Plurimus reges faciunt, sed aequae
Vis bona mentis.

Aureo vivit celebratus aevo
Artium Caesar columen bonarum,
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

Quid juvat latis dare jura terris?
Regna quid partis geminare? stulto
Imperat regi sapiens, caducum est
Quo sine sceptrum.

Clarior regnes placitis cavendo
Legibus plebi, studiisque amicis,
Ense quam stricto nimium premendo
Corda pavore.

Digitized by Google

Castra cui nomen caligae dederunt
Quique Romanum tenuere clavum
Consilio expertes numero imperantum
Φιλοπολιται.

Eximunt leges, meritis ferentes
Laudibus, quisquis bonus atque rerum
Litteris prudens decus arrogavit,
Imperioque.

Digitized by Google

IN

SEMINARIORUM INSTITUTIONEM

SAPPHICON III.

Una virtutum studiosa nutrix
Usque sublimes moderata mentes
Acribus torquet stimulis, et addit
Gloria vires.

Tela per, casus, mediasque caedes
Hac ruit miles metuendus ore
Auspice, hostiles fugat et catervas,
Marte secundo;

Hac duce ignavis pedibus negatum
Verticem quotquot tenuere Pindi
Pallas arrisit, dedit et malignum
Spernere vulgus.

Impulit claram sobolem Philippi
Fama Pelidae violenta in orsa,
Dein suis fovit Macedo triumphis
Caesaris arma.

Digitized by Google

Nobiles doctis studiis Athenae
Martiae primum peperere Romae
Tullium, Flaccum, Varium, et Catullum
Virgiliumque.

Unde formatur melius frequenti
Aemulum pubes genus in palaestra,
Sic et exemplis docuit probanda
Jure vetustas.

Namque ibi virtus meritis decora
Praemiis segnes animos adurget,
Et novos vinci metuens potenter
Exerit ausus.

Digitized by Google

IN ILLUSTRIUM SCRIPTORUM

QUI AUGUSTI AETATE FLORUERUNT

LAUDEM

SAPPHICON IV.

Linque dilectas Heliconis oras,
Artibus clarum genus, et Minervae
Tibia mecum celebrare acuta
Pieri sumas.

Quid prius? dicam meritis Maronem
Laudibus, cujus micat inter omnes
Fama, seu sylvas moduletur, atra
Seu canat arma.

Barbiti Flaccum Latii parentem
Proxima gratus referam Camoena,
Callidum mores tenui notandos
Carpere versu.

Tristibus vatem et numeris dolentem,
Quod leves primum male lusit artes;
Cautius ludit tua perpolite
Musa Properti.

Digitized by Google

Caesarem post hos prius, an Catullum,
Porcium, et Phaedrum memorem, an Menandro
Aemulos soccos, dubito, an Tibulli
Nobile carmen.

Vivet extento Ciceronis aevo
Aureum suadae decus eloquentis,
Nulla Cornelî tacitura surgent
Saecla nitorem.
Fervet immensus velut imbre torrens
Livius, nullo superante, at illi,
Pressior quamvis, retulit secundos
Crispus honores.

Ingenî tantis decorata sertis,
Quae tibi aeternum peperere nomen,
Marte quid jactas populos cruento
Roma subactos?

PARAFRASI

Dalla diletta sede d'Elicona
Deh! scendi, o Musa, e del bel secol d'oro
Tessi a scrittor latini alma corona
Di verde alloro.

Ma d'onde ordir? del gran Marone il vanto
Primiero splende, o tempra rozzi carmi
Con vil sampogna, o con più nobil canto
Tratteggia l'armi.

Digitized by Google

Te poi dirò della romana lira
Padre, o Flacco, con cento frizzi e cento
Il verso tuo negletto a' vizii ispira
Aborrimento.

Il vate canterò, che dell' esiglio
La rea sorgente in tristo metro accusa;
Di Properzio non teme alcun periglio
La colta Musa.

Cesare poi cantar, ovver Catullo,
Fedro, o Porcio degg' io, del Greco al pari
Il Comico pregiato, o di Tibullo
I carmi rari?

Cento per la sublime aurea favella
Vivrà lungh'anni Ciceron, nè fia
Che di Nipote un dì paja men bella
La leggiadria.

Qual per piogge torrente ampio e profondo,
Trabocca Livio, che niun pareggia:
Crispo in sermon più stretto a lui secondo
Avvien che seggia.

Questi son, Roma, i grandi tuoi, che nome
Eterno e glorioso ti donaro.
Deh! cessa di vantar le terre dome
Da crudo acciaro.

Digitized by Google

SILENTII LAUDES

IN ILLUD DIVI JACOBI APOSTOLI

Et lingua ignis est, universitas iniquitatis.

SAPPHICON V.

Qualis, occulto simul alta ab aestu,
Forte si temnas, tenuis favilla
Crescit, immensas ruitura caecis
Ignibus urbes;

Vel per ingentem spatiata silvam
Proruit quercus, veteres et ornos,
Fracta queis austri toties furentis
Ira resedit;

Parva sic quamvis, furit aestuanti
Impetu, cunctas animique perdit
Lingua virtutes, gravis ut malorum
Causa timenda.

Seu sonis ludit numerosa blandis,
Seu venenatis jaculis lacessit,
Dira, ni prudens caveas ab illa
Fata dolebis.

Digitized by Google

Mille per rixas fera bella ubique
Miscet, et caecas cata lingua fraudes,
Cuncta queis tento jaculatur arcu
Corda Cupido.

Sedula hac error veluti magistra
Decipit mentes malesana passim
Scita dictando, populosque veris
Dedocet uti.

Vocibus, quin et superos, et altum
Ipsius numen, scelus heu! Tonantis,
Quo nihil majus viget, aut secundum,
Appetit audax.

Tristius quidnam? rigido sed una
Jure cum linguam regat impotentem
Quis neget, vatum potiore dignam
Laude βιωκην.

Digitized by Google

IN NATIVITATEM DOMINI

IN ILLA PSALMORUM VERBA

Quia ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.

SAPPHICON VI.

Otium quotquot per acerba rerum,
Mille per casus, fera bella, et hostes
Quaeritis, Bellem, mora nulla, ad antrum
Ite frequentes.

Plurima quamvis nive, belluisque
Horreat, saecli tamen a procellis
Tutus hic portus, statioque vestrae
Fida carinae :

Namque ibi Judae domitus Leone
Hostis, et prisci cecidere belli
Tela cum scutis, aciesque tristis
Fracta sagittae.

Pacis en laeto sonitu sub illo
Concinunt antro superi triumphum,
Adsonans pacis recinit jocosa
Nomen imago.

Digitized by Google

Bruta vel tellus bona tanta, et Aeter
Sentit, hic nigras micat inter umbras,
Arido flores gremio repente
Parturit illa.

Ite, sed vanas removete pompas,
Gaudia et justis inimica votis,
Integri vitae scelerisque puris
Moribus ite.

Nempe qui terris nova jura dictat,
Coelitum Princeps hominumque cunctis
Spondet hac tantum dare lege pacis
Dona benignus.

PARAFRASI

Tra cure e palpiti, tra rie vicende
Dell'uman vivere, se brami pace,
All' antro affrettane, mortal, 'u giace
Chi sol la rende:

Se sparso è d' orrida neve, e d' infeste
Belve covacciolo, non ti spaventi:
Ricetto apprestati dalle furenti,
Atre tempeste:

Che quivi caddero già rotte a terra
D' averno l'empie triste saette,
Già vinse il valido Lion, ristette
L' antica guerra.

Al suon d' angeliche cetre lo speco
Ve' quali allegrano canzon giulive
Di pace e gloria; pace le rive
Suonar fa l'eco.

Alla vittoria la terra, il cielo
Ve' come destansi, fuggon gli orrori
Notturni, sbocciano repente i fiori
Tra il duro gelo.

A che più tardasi? a un Dio in fasce
Regi pur vennero pace a trovare,
Chè nelle reggie di pene amare
Il cor si pasce.

Colà deh volane, mortal, ma pria
Del folle secolo le pompe, il fasto
Abborri, scevero di colpe, e casto
Il petto sia.

A questo donasi patto severo
La pace agli uomini, quest'è la legge
Del nato Principe, che il tutto regge
Con alto impero.

Digitized by Google

IN

CUJUSDAM SACERDOTIO INAUGURATI

LAUDEM

SAPPHICON VII.

Te satum Divis genus, o Sacerdos,
Lesbio quisquis celebrare plectro
Sumat, in praeceps ruiturus audax
Nubila tranat.

In tuas quamvis numerosa laudes
Tota Parnassi simul adlaboret,
Imparem tantis dabit usque coeptis
Turba canorem.

Qualis intentos oculos retundit
Axe cum Phoebus micat altiori,
Luce perstringis nimia tuentûm
Ora coruscans.

Te nihil majus meliusque gentis
Sentiunt, firmam fidei columnam
Te colunt, uni tibi certa debent
Munera pacis.

Digitized by Google

Te suum mores, sociaeque norunt
Vindicem leges, duce te frequenti
Dura virtutis populo patescunt
Pervia castra.

Aestuet caecis furiis Avernus,
Misceat fraudes et aperta bella,
Protinus saevis tua sed catenis
Dextra coercet.

Nec minus terris gravis ira summi
Numinis cedit tibi, cum solutis
Criminum vinclis superis amica
Foedera sancis.

Quin et in coelum potiora profers
Jura: qui torquet Deus astra, ad aram
Heu stupor! sistis modico coactum
Panisin orbe.

Macte qui tantis titulis renides
Gentis humanae decus atque custos,
Gentibus cunctis merito colende
Numinis instar.

PARAFRASI

Su per le stelle spiega ardito volo
Chi tenta i pregi tuoi rari e divini,
Signor, lodare, e con rossore al suolo
Fia che rovini.

Digitized by Google

Se tutto del Parnaso or qua ne vegna
L' aonio stuolo, e celebrar te s' oda
Con l'auree cetre, al merto tuo men degna
Saria la loda.

Qual l'audace pupilla il Sol raffrena,
Quando di rai più vago in ciel risplende,
Sì la luce superna, ond' hai ripiena
L'alma, ti rende.

Non vanta il mondo alcun di te migliore,
Che sol gli dai di pace stabil pegno,
Tu della Fede contra ostil furore
Saldo sostegno.

All'ombra tua vedrassi ognor più bello
Risplendere il costume a legge amico,
E seguita virtù da emol drappello
Del lustro antico.

Che se d'Averno a sì bell'opre desto
Il rio furor guerre prepari e inganni,
Domo ben tosto l' ardir suo funesto
A ceppi il danni.

Nè men potente sei del ciel gli strali
Ad arrestar, disciolto il fallo rio,
Quando amistà gradita tra' mortali
Strigni e fra Dio.

Ma che stupir di ciò? chi le sovrane
Cose e le basse regge, dall' Empiro
Scende, e si cela a' cenni tuoi di pane
In piccol giro.

Digitized by Google

Salve, o Signor, di tanta gloria adorno,
Della terra splendore, ed il più chiaro
Astro degno di stare in questo giorno
Di un Nume a paro.

Digitized by Google

IN DIVI DOMINICI LAUDEM

Dominico in templo Sancti Petri Romae oranti, tribus armatus jaculis jam jam mundum ruiturus visus est Jesus. Cujus ira statim quiescit, cum B. Virgo Dominicum preces fundentem illi ostendit.

SAPPHICON VIII.

Tange jam chordas, Erato, canoras,
Cui frequens Phoebi chorus adlaborat,
Adde Gusmano potiora laudum
Serta merenti.

Mitte praeclarum genus, et parentes,
Mitte devictos fidei rebelles,
Atque prostratas furias Averni
Fulmine linguae.

Audiant late, stupeantque gentes,
Illius blanda prece concidisse
Impias terras prope fulminantis
Numinis iram.

Mille per fraudes, per iniqua coelo
Scita perfringi sua jura passim
Senserat, toto violenta et orbi
Fata parabat.

Digitized by Google

Jam Deus, vultu gravis imminente
Gemmeum scandit solium, tonansque
Concutit certa triplici coruscam
Cuspide dextram.

Virgo Gusmanun simul at precantem
Monstrat, extemplo cadit ira, et atra
Tela ponuntur, placidoque Jesus
Ore renidet.

O decus coeli, decus o tuorum,
Quas tibi lusit modo musa laudes
Debeat semper facilis precantûm
Annue votis.

PARAFRASI

Erato amabile tempra le corde,
Tessi a Domenico di raro merto
Col coro aonio a te concorde
Di laudi un serto.

L'alta prosapia non mi ridire,
Taci dell' aurea lingua i prodigi
Co' quali agli empii fiaccò l'ardire
E a' mostri stigi.

Dimmi dei fervidi prieghi il potere,
Onde spuntaronsi gli acuti strali
Che minacciavano già dalle sfere
Stragi fatali.

Digitized by Google

D' orror frenetiche, di rio costume
Lorde ne givano per l'ampia terra
Le genti ahi misere! sfidando il Nume
A trista guerra.

E tosto a romperne l'orgoglio ascende
Soglio terribile, cruccioso gira
La man, che in triplice lancia gli splende
Ministra d' ira.

Ma l' alma Vergine Gusman , che prega,
Addita, e 'l fervido sdegno conquiso
Gesù di placida luce dispiega
Ridente il viso.

De' tuoi figli inclito grand' ornamento,
Ch' eccelsa gloria nel ciel ti godi :
Con nuove grazie porgi argomento
A nuove lodi.

In eos, qui Astrologiam consulunt, ut certos Lotariae numeros divinent, vulgo Cabalistas.

SAPPHICON IX.

Mitte jam vanas operosa curas
Turba, num mentem cerebrumque nummi
Dulce ducentis nitor et cupido
Sordidus aufert ?

Futiles libros, numerosque amicos,
Sorte et eductos alia, notarum
Lege quos certa struis, usque tractas
In tua vota :

At vices Lunae vario micantis
Ore transactosque dies notanti,
Unde spes major, tibi major instat
Cura, laborque.

Stulta per tricas, superos quod ipsos
Praeterit, quaeris taciturna terris
Astra, nil norunt dare praeter almae
Munera lucis.

Cuncta si nescis, Deus unus aequo
Numine e coelo regit, ad potentem
Ipsius nutum jacet Irus, ingens
Qui modo Croesus.

Unde quae vitae brevis hora restat
Seriis impende, jocis relictis,
Astra scrutari, attonitaque mente
Numen adora.

Digitized by Google

AD SIRENEM

Ut caeteris, quibus excellit, omissis laudibus, de uno Xisto Riario Sfortia sibi plaudat, cujus vigilantissima solliciludine optimisque auspiciis novam ac pulcriorem adepta est gloriam.

SAPPHICON X.

Mitte jam claris celebrare, Siren,
Tibiis laudes, quibus una cunctis
Urbibus praestas, et amoenus orae
Diceris hortus.

Italae, nomen nec inane jactas:
Scilicet largis opibus benignum
Et sinum, et raris redimita praefers
Tempora gemmis.

Per tuos vultum speciosa colles
Flora, Nympharam comitante coetu,
Gratiis junctis choreas remiscens
Vernat amica:

Cujus adspectu tenuantur atrae
Protinus curae, fugiunt dolores,
Aegra mens surgit, redeuntque firmae in
Corpora vires :

Candidi Soles, Zephyrique lenes
Molliunt auras tibi persalubres,
Nec procellosi Boreae, vel Austri
Praelia sentis.

Grandis hinc rerum nitor et venustas,
Vultus hinc coeli melius nitentis,
Dulce et exercent bene temperatas
Gaudia mentes :

Hinc tuis blandi, nitidique mores
Incolis, musae facilem hinc secundant
Ingeni venam, studiisque amica
Otia regnant.

Mille te circum nitidis ab undis
Obstrepunt fontes, trepidisque rivis
Dissecant pictas roseis viretis
Molliter oras.

Te Ceres flavis decorata culmis,
Poculis Liber generosus ornat,
Faustitas currum tua propter arva
Alma reducit.

Veris hic longum decus, aestuosus
Nec nimis fervet canis, hic decorum
Dulcibus pomis caput annus effert
Mitior arvis.

Digitized by Google

Lactis, et fusi per aprica mellis
Garruli fontes fluere hic videntur,
Prisca Saturni huc remeasse lacta
Regna videntur.

Quid loquar cultu satis invidendas
Regio moles? monumenta et aedes
Litteris sacras? peramoena passim
Strata viarum?

O tibi quondam celebratae Athenae
Gratiis cedunt, studiisque doctis;
Mollibus cedunt opibus referta
Thessala Thempe.

Hospes extremo veniens ab orbe
Jure te, Siren, stupet, ac suorum
Immemor vitae cupit hic dierum
Claudere summum.

Aureo haec sane celebranda plectro,
Clarior fulges tamen ipsa ab uno,
Quo novos fastos, titulosque signas,
Auspice Xysto.

Praesulum clarum decus ille, nostris
Qua nihil majus, meliusve terris
Contulit numen, vigil adlaborat
Relligioni.

Mentis huc curas celeres, et illuc
Dividit, casus retinentque nulli
Impiger noctes recolit diesque
Commoda ovilis.

Digitized by Google

Non vides quantis acuat benignis
Sponte ferventem stimulis juventam,
Unde spes manat Fidei perampla
Praesidiumque ?

Non vides quanto pretiosa sumptu
Litteris surgunt monumenta sacris,
Ars ubi certat nitor, atque dives
Copia rerum ?

Scilicet cultu specieque capta
Aestimat pubes magis, acriusque
Excolit musas, tacitoque crescunt
Robore mentes.

Vivet extentis Academus annis
Notus extricti Sophiae lycaei,
Vivet et fama celebranda in aevum
Stoa virorum.

O nimis felix, nimis o beata
Sorte de tanta tibi plaude, Siren,
Quem sinu quondam tuleris, quod almo
Praesule gaudes.

Praesule hoc mores veteres redire,
Litteras cernes veteres vigere,
Jam caput longe mare trans et Alpes
Clarius effer.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN

DIVI ATHANASII LAUDEM

ECCLESIAE PRO ATHANASIO SAEVIS FUGAE AERUMNIS LABORANTE
AD DEUM PRECES

ASCLEPIADAEON.

O qui cuncta potens imperio regis,
Nec non res hominum numine temperas
Aequo, nunc placidus me Deus aspice.
Caeca mente nefas omne moventium
Tu dum coepta malos ducis ad exitus,
Inter dura piis dexter ades choris.
Hoc et Sennacherib militiae ferus
Dux olim Assyriae sensit, ab aethere
Cum lapsus, validas, queis Solymam ruat,
Atra in nocte acies contudit Aliger :
Jussis usque tuis cedere nescius
Testatur Pharao hoc mersa rubro agmina
Expertus pelago ; quaeque nova ebibit
Tellus attonitis luminibus : tibi

Ast o torpet iners quid modo dextera ?
Quae tu praesidio pollicitus tuo,
Vel per saeva Stygis praelia lividae,
Petri tuta nimis robora fluctibus
Circum nonne vides sollicitis quati ?
Nunc surgit Boreas imperiosior
Inversoque mari torquet agens, uti
Quercus saepe ruit vertice in Algidi,
Nunc urget scopulos, inque latentia
Saxa Eurus, premit et vorticibus niger
Auster, remigio nec latus utitur,
Malo firma parum, nec ratis integro,
Passim strata jacent vela per aequora.
Haec promissa fides ? hoc merui Pater ?
Heu ! saltem his lacrymis te facilem dato.
Qui tantos valeat frangere turbines,
Quo non est alius vim moderarier
Ventorum potior, casibus obrutum
Insanis Athanauta, et profugum diu
Servato incolumem, seu sub inhospitis
Antris deliteat, seu juga montium
Silvarum aut teneat quae magis horrida:
Hoc dempto rapidis scilicet Africis
Debebit fidei ludibrium ratis.

Digitized by Google

IN DIVINAM

HUMANI GENERIS SERVATORIS

ANASTASIM

IN ILLUD DIVI CYRILLI HYEROSOLIMITANI

Radix cujuslibet boni operis est spes resurrectionis.

GLYCONION ASCLEPIADAEON I.

Qui Christo duce et auspice
  Virtutis rigidum currit iter, neque
Plebis propositi tenax
  Aura pertrahitur, nec cadit impetu,
Neu jactata velut Notis
  Rupes indomitis aequore fervido
Caecis obruitur malis,
  Non mundi brevibus fulget honoribus,
Non sceptro, neque purpura
  Spectandus, vel opum divite copia :
Sed quae, sedibus igneis
  Fortunae ancipites haud metuunt vices,
Ducet praemia gloriae

Digitized by Google

Ornatus, meritis tempora laureis,
Plenis deliciis fruens
Mox, cum vita redit manibus, et gravi
Extremae sonitus tubae
Gentes judicio sistet, amabiles
Inter coelicolum choros
Cum Christo vehitur per liquidum aethera,
Ipso sole nitentior,
Pravorumque virum splendidus assidet
Sublimi solio arbiter.
Fons o justitiae, dulcis anastasis,
Vitae quae mala temperas,
Tu spes una homini, robur et efficax
Perstas rebus in arduis,
Addis tu nimiae fraena licentiae
Insanaeque cupidini,
Tu vitam instituis moribus aureis.
Totum muneris est tui
Quicquid christicolis sanctius insidet.

Digitized by Google

AD

D. ATHANASIUM ABSENTEM

UT CITO REDEAT

ALEXANDRIAE VOTA

GLYCONION ASCLEPIADAEON II.

Ecquid jam nimium diu
  Spes non parva mihi, nec decus ultimum,
Olim rebus in arduis,
  Pastor dulcis, abes? Tolle moras, precor,
Et te redde tuis cito,
  Ne nostri pereat gloria nominis.
Ut quae reppulit agmina
  Argivum incolumi fortior Hectore,
Ast hoc robore diruto
  Mox et Troja levi concidit impetu;
Si quos plus vice simplici
  Stravi laeta tuis auspiciis humi,
Urgent nunc violentius,
  Dirumque excidium Te sine comparant.
Seu Sol Oceano subest,
  Seu fulgens radiis extulerit caput,

Digitized by Google

Inter monstra perhorrida
  Versor, certa feris victima dentibus.
Hinc et perfurit Haeresis,
  Pervertitque ferox quaeque sacerrima.
Quot natos prius impigro
  Nutritos studio perdidit impia !
Quin ipsi lacerant mei
  Me nati rabie perciti ab improba.
Illinc et pede libero
  Cursat bella fovens saeva licentia :
Fidem parte alia tibi
  Servata toties viribus ingeni,
Et virtute nova, vafer
  Error nocte studet volvere turbida,
Audacique manu, abstulit
  Quod tu largus opum contuleras mihi.
Urbi nil superest tuae
  Vanam ultra speciem, et nomen inutile.
Haec siccis oculis, Parens,
  Audis ? iste tuum pectus habet rigor ?
Quid cessas ? prece fervida
  Te desideriis icta fidelibus
Suspirat soboles tua ;
  Jam tantis rediens pone modum malis,
Quippe unum pavet Haeresis,
  Unum tartareae te metuunt opes.

Digitized by Google

PARAFRASI.

Dolce mia speme e gloria,
Ch' in tua virtù ben fermo
Mi festi infra pericoli
Un dì potente schermo,

Perchè, Pastore amabile,
Spento l'antico affetto,
Vivi di me dimentico
Lungi dal patrio tetto?

Rompi l'ingrato indugio,
Deh presto a me ti rendi,
E da obbliose tenebre
L' antico onor difendi.

Qual pria temuta d'Ettore
Pel brando il nerbo acheo
Atterrò Troja, e facile
Poi col suo eroe cadeo;

Tal io l' orgoglio tumido
All'ombra tua felice
Infransi al suol, degli empii
Sempre trionfatrice.

Ma, di tal possa or vedova,
Inevitabil fato
Parar già contro veggomi
Dall'oste trionfato.

Digitized by Google

O Febo il carro fulgido
Di Teti in seno asconda,
O spieghi pel vasto etere
La chioma rubiconda,

Tra quai m'aggiro, ahi misera!,
Mostri crudel, furenti,
Ch' ognor le zanne arrotano
A lacerarmi intenti!

Or la resia s' infuria
Contro l' amato gregge,
E fassi giuoco orribile
D' ogni più sacra legge.

Quanti, con cure assidue
Nutriti, cari pegni
Dal sen mi tolse barbara
Con mille modi indegni!

Ch' anzi più crudo scempio
Gli stessi figli miei
Scossi da infame rabbia
Mi fanno ingrati e rei.

Or la licenza indomita
Balda discorre, e infesta:
Più tristi guerre a muovermi
Nuovo fomento appresta.

L'astuto errore attentasi
Volger tra l' ombre infide
La Fè, che pria più lucida
Per tua mercè si vide;

Ed a quei pregi nobili,
Onde splendea leggiadra
Per tuoi sudor, il perfido
Distese la man ladra.

Oltre la vana immagine,
Alla natia cittade
Nulla riman dell' inclita
Antica sua beltade.

Puoi tu cotai miserie
Udir senza dolore?
Tanta durezza stringere
Non suol paterno core.

Anche più tardi? invócati
La prole a te diletta
Con fidi voti e fervidi,
Il tuo ritorno affretta.

A tanti mali involane,
Te sol le stigie squadre,
Te sol la turba eretica
Pave, deh! torna, o Padre.

Digitized by Google

IN

FOEDAM HONORUM CUPIDITATEM

JAMBICON I.

Furoris unquam, atraeque bilis impotens
  Si qua insecutus crimina,
Disjecta versibus tuis potentius
  Telis, venenis, ignibus,
Huc huc adesto, jambe tristior, pete
  Labem malorum pessimam.
Tantumne praeferant honores luminis,
  Tantum ingerant insaniae,
Per omne fas nefasque devotos viros,
  Ut mentis impotes trahant,
Tot ambiant curis, tot heu! periculis,
  Tot aucupentur artibus?
Auri nitore, largitate munerum,
  Sonoque laudis illice
Virtutis ora mentientes perfidum,
  Secus perosi, in impia

Digitized by Google

Vota advocant vultus modestiam, et gravem
  Ubique sanctimoniam.
Atho scelesto quolibet scelestior,
  Vana ambientium manus,
Quid niteris latere ? stare nescia
  Fucata virtus excidet.
Regnare an illa nata, sub cupidinis
  Vexilla turpe serviet ?
Qua mox pudebit exui, ridiculam
  Personam age istam ponito.
Tibi vel ipsa si nequam esse vis, dolis
  Calumniisque gratiam
Captare parce, jura per sacerrima
  Confusa parce extollier ;
Nec innocentes extimescens aemulos
  Caeca ruina volvito.
An impiis quaesitus artibus diu
  Honor manebit ? falleris.
Terra marique nobilem, vis acrior
  Quam nulla fregit hostium,
Romam cupido perdidit Regentium.

IN OBSCOENOS POETAS

JAMBICON II.

Quid ista vatum vult sibi impudens manus
  Plectris ubique mollibus
Impune personantium ? sacratius
  Qua nil, favente Numine,
Amoeniores inter artes praenitet,
  Poesis alma pessimis
Notis inusta sordeat protervia
  Insanientis ingenî ?
Tonantis heu ! Divumque nata laudibus
  Quid tibiis praeposteris
Obscoena praeter nil crepet, Cupidinis
  Devota nigris artibus ?
Paresne prima civium, crudelia
  Nunc tela in ipsos instruat ?
Caecaque tabe dulcium poematum,
  Quibus benigna corrigat

Digitized by Google

Mores, nefanda perdet integros ? genus
  Vatum insolens, et inclytae
Pestis Poeseos, quis impulit furor
  Tantum audeatis ut nefas ?
Cupido adurget laudis, an placere creditis
  Magis referta carmina
Jocis, ineptiisque turpibus ? comes
  Virtutis at laus abnuit,
Bonique damnant, saera jura et omnia
  Labem malorum hanc pessimam.
Ohe silete : sat datum impudentiae,
  Sonare vel si quid juvat,
Versis sonate tibiis modestius.

Digitized by Google

IN

SODALES ALIOS PERVERTENTES

JAMBICON III.

Quae dira mentem cepit impotentia,
  Auctor malorum pessime?
Abactus ulla haud ipse conscientia
  Nefas per omne proruis;
Neque hoc satis, pervertere et sodalium
  Infirma sensa niteris?
Sermone saepe decipis potentius
  Marsis vel ipsis vocibus,
Saepe arte mira nectis improbos dolos,
  Ignesque avernales jacis:
Quin asperis et appetis conviciis,
  In verba jurent ut tua.
Sodalitatis jura quos tibi alligant,
  Et una pallas arctius
Tot in viros vir atra bella concitas,
  Bonisque flenda funera?

Digitized by Google

Unus furentibus notis tu differes
  Portare curas praesulum ?
Rite institutos tot ducum laboribus
  Morbosa ceu gregem pecus,
Tu perdis unus impium ! mores ? cito
  Hinc te, sceleste, proripe.
At vel Deum paveto, cujus maxima
  Sic dona demens proteris :
Cave : cave : namque in malos asperrima
  Illius indignatio.

Digitized by Google

IN LAUDEM SILENTII

SILENTIUM

SEMINARII PRAEFECTOS ALLOQUITUR

JAMBICON IV.

In pejus usque corruentis pectora
  Queis cura pubis fingere,
Huc, huc adeste inusitato ediscite
  Ab ore morum regulam
Primam optimamque; scilicet potentia
  Dedere sceptra in subditas
Mihi sorores, quot feruntur αρεται,
  Quin jure dicar et parens.
Me quippe abacto, languet impotens cito,
  Quae stante virtus me viget.
Comes modestiae malos ego arceo
  Jocos et insolentiam :
Me castitas, fidesque, me divum timor,
  Colunt, piorum me preces.

Digitized by Google

Sanctissimis concepta sacra ritibus,
  Meo regente numine.
Mihi vel ipsae praepotentis impetus
  Mars inter arma subditas ;
Ego arctiora amicis servo foedera,
  Non fida, ni mecum simul,
Meis stetere legibus gymnasia,
  Ceu tuta propugnacula.
At, ne loquacitatis invisam feram
  Notam, silebo protinus.
Haec interim haereant reposta mentibus
  Habenda dicta maximi.
Procedet omne rite Seminarium
  Ubi obtinet Silentium.

Digitized by Google

IN

DIVI ATHANASII LAUDEM

JAMBICON V.

Quid iste fert tumultus, aut coecus furor
  Insanientis Haeresis ?
Dum fundit atro ab ore toxicum, et virûm
  Incauta fallit pectora,
In immerentem quid furit minacius,
  Stringitque tela atrocius ?
Ducit scelestam Arius insolens manum
  Virtute fretus nobili
Potentiorum, ubique saevit et minas
  Petita ferro ut bellua.
Hic et catenas, et rigentes compedes,
  Et exili aerumnas parat :
Edoctus alter at nocendi callidas
  Artes, dolosque perfidos
Nefas per omne dente captat laedere
  Cunctis verendum gentibus :

Digitized by Google

Interque magnum turpe ! coetum, et impia
  Tot inter ora antistitum,
Novo impudentis foeminae mendacio,
  Notatur atro crimine
Praesul libidinis, necique traditi
  Medeae ob artes, Arseni.
Ut Euro agente saepe pontus infremit,
  Sic ira cunctos abripit.
Terra marique persequentes perdere
  Student malorum turbine.
Atoo nefariis scelesti parcite
  Curis, Notus quas dissipet ;
An mente justum posse deduci sua,
  Firmumque pectus concuti
Speratis, urgent saeva cum pericula ?
  O quantus error vos habet.
Priusque coelum praenitebit floribus,
  Clarisque tellus ignibus ;
Quam nempe contingat manus vobis dare
  Vero relicto Praesulem.

Digitized by Google

IN

DIVI DOMINICI LAUDEM

JAMBICON VI.

Erroris o quid usque pertinax furis,
  Gens belluis insanior ?
Perosa lucem Veritatis unicam
  Quid vana per sophismata
Amas tenebris obrui feralibus ?
  Coeptis ohe nunc abstine,
Desiste verba venditare inania,
  Rudemque plebem fallere.
Quae fidus edocet, favente Numine,
  Gusmanus alma dogmata,
Certam salutis regulam complectitor,
  Tibique tandem consule.
Te praedicantis illa vis, quae barbara
  Mollire posset pectora,
Te pertrahant quot monstra vulgus suspicit
  Stupore perculsum gravi.

Digitized by Google

Quid accidit? minus tunc ignibus sapis,
  Tuae nec te superbiae
Pudet? Magistro ab igne vel seponere
  Discas ab auro aes pessimum:
Quos damnat ignis, devoratque, perfidos
  Damna libellos illico:
Gusmani at ignis reddit en volumina
  Edacitatis integra,
Verere prudens haec, tenenda ducito,
  Iluc verte curas sedulo.
An caute surdior rigenti his bibliis
  Fidem negabis hactenus?
Caveto poenas ni luas proterviae
  Flammis ferocioribus.

PARAFRASI

Nell'error pertinace a che infurii,
  Delle belve o genía più crudel?
Veritate a che tanto t'è in odio
  Che ti sganna col lume fedel?
A che cerchi ravvolgerti in tenebre
  Che di morte già danno sentor?
Deh! t'arresta di ciarle più vendere,
  Ed i semplici trarre in error.
I bei dogmi, che al mondo Domenico
  Pien di spirto celeste insegnò,
Ti fian norma di vita e del credere,
  Provveder se mai brami al tuo pro.
Quella dolce e potente facondia,

Che le fiere potrebbe ammansir,
Ti convinca, e quei rari prodigii
Che la terra ognor fero stordir.
D'elemento insensato men sacra
Non ti prende rossor di sembrar ?
L'oro fino dal rame a discernere
Ti fia pregio dal fuoco apparar.
Quei, che il fuoco riprova, ed abbomina,
Empii scritti riprova pur tu
E rispetta il tuo libro, e lo venera,
Che da fiamme toccato non fu.
Alla fin con fe candida abbraccia
Le dottrine che quello contien.
Dopo prova sì bella e palpabile
Riluttare non più ti convien :
Che se dura qual rupe vuoi essere,
Con ragione temer si dovrà
Che in eterno da ardor più terribile
Tal durezza ammollita sarà.

IN OBSCOENOS LIBROS

JAMBICON VII.

Quae te furore concitat vis acrior,
  Vecors juventa et improba ?
Metu soluta, gestiensque proruis
  Sic tristia in pericula ?
Quis aut cicutam, aut noxias quaerat dapes,
  Cum mensa sinceras paret ?
An putidum appetet lacum, quem pellicit
  Liquor nitenti flumine ?
At integrae quot enitent scientiae,
  Fontes et alma pabula
Perosa et ardes, et voras volumina
  (Jejunus ut praedam canis)
Nigris referta toxicis, nec impia
  Dum damna sentis, abstines ?
Heu mixta Circes artibus veneficae
  Ceu pocula inde combibes,
Videris ingeni prioris immemor
  Vagas referre belluas

Digitized by Google

Mens acta (turpe) cedit, et quicquid viri est;
  Ferocitate et ignibus
Novis inaestuas statim praecordia,
  Per foediora quaelibet
Proterva diffluis, virosque pessima,
  Urbesque tabe conficis
Nec ulla vis retundere insolentiam
  Minaeque Numinis valent,
Quin impotentius petita spiculis,
  Leaena qualis infremis.
Jam jam abstinete tanta si hinc manant mala,
  Si tot pericula imminent.
At quid obseratis auribus preces
  Et verba jacto inania?
Vos, vos cavete ab hisce fontibus bonae,
  Queis cura mentis insidet.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN

PULICES PER AESTATEM MOLESTOS

PRAESERTIM IN SEMINARIIS

PHALEUCIUM I.

Scire si cupias quid hac palaestra
Puellis gravius, molestiusque est,
Dicam, sed levitatis haud inuras
Nota, quod videar polire parvam
Versu materiam ; nec illa parvi est
Unde origo fluit gravis malorum.
Pulicem quis enim malum negabit,
Quo nil tristius hic molestiusque ?
Mole est parvulus, at nimis timenda
Noctu bella gerit diuque nobis
Acri dente : labore fracta membra
Frustra lectulus excipit levanda
Instructis velut hinc et hinc catervis.
Ille tum subit acrius remordens
Artus, crura, natesque mollicellas
Insana toties fame expetitas,
Et tota vigilare nocte cogit.
Magni ut saepe furens doloris aestu
Hunc tandem statuam valere ludum
Quicquid accidat inde. Sed quid amens
Dixi ? Parcite stultulo puello,

Digitized by Google

Quippe est simplicitas favore digna.
Ad suetam interea vocat palaestram
Nos nola, an minus insequuntur acres
Pulices, precibus, simul, Deoque,
Aut Musis animum damus, vel escis
Vires erigimus? magis magisque
Impetunt, et acutiora figunt
Oscula, atque novos creant dolores.
O numquam satis execrate pulex,
Quid te tristius est molestiusque?
Quamvis putidus haud tamen molestus
Cimex, qui tacito, silente nocte,
Gressu obrepit, et elicit cruoris
Ut fert fama, luem, potesque certis
Saltem extinguere, si libet, venenis.
Importuna volat, feritque cuncta,
Musca, aestate gravis comes diei,
Sed noctu latet illa, suntque mille
Flagella apta, statim quibus fugatur,
Nec non φαρμακον efficax repertum
Nuper exitio illius. Nec artes,
Nec praesentia sunt venena contra
Te, pulex, puerorum abominanda
Pestis. Ingenii sagaciorem
Huc vim vertite, qui novis studetis
Rebus: magnus Apollo habetur, artem
Quisquis repperiat genus domandi
Pulicum gravius molestiusque
Cunctis hisce malis molestiisque
Quae nos ferre gravi hac decet palaestra.

IN LAUDES SILENTII

PHALEUCIUM II.

Ingratum ut pueris, et exsecratum,
Ut poenis, gravius, laboriosa
Quot hac Pieridum decet palaestra
Nos perferre satis, superque, dignas
Silenti nequeo tacere laudes.
Nil hoc utilius, nihil parandis
Musis commodius, scientiisque.
Vanos namque fugans jocos, modosque
Coercet taciturnitas vagantem
Huc illuc animum, quietiorem
Quem, cura et vacuum petunt ab omni
Musae. Credite quo docente saepe
Usu perdidici, et libenter edam.
Cum sedi ad pluteum silens libellos
Ut statim mea pensa devoravi ?
Quot laudis bona verba, quae puellis
Ampla praemia, rettuli a magistris !

Digitized by Google

Quorum cum tacitus pependi ab ore
Ebibi latices bonae Minervae.
Virtutum taciturnitas benigna
Parens et pueros decenter ornat,
Acceptosque aliis et honore dignos
Reddit, haec potior precum est ministra.
At si tenta mihi silere confert
Commoda, hinc celerem pedem referte
Verba inania cum jocis, perenne
Hinc vobis cieo, geroque bellum,
Vos et exsecror hinc, abominorque.

IN NATIVITATEM DOMINI

AD SPECUM BETHLEMITICUM ADLOCUTIO

PHALEUCIUM III.

O felix nimium, specus Bethlaea,
Coeli deliciis quot o referta,
Quot o nunc titulis superba fulges,
Nivalis licet, et caduca, pridem
Apta vix ovium gregi tuendo,
Cunctis urbibus invidenda posthac;
Qui magni jaculis amoris actus
Nuper Virginea latebat alvo.
In te quippe jacet tenellus infans:
O felix nimium, specus Betleaea!
Ipsis pulchrior enitescis astris.
Qui sedet solio nimis timendo,
Qui terras vario tegit colore,
Qui tot luminibus potenter actis
Ornat aethera sat superque mirum,
Qui terret tonitru, cietque fulmen

Digitized by Google

In te jam recubat tenellus infans.
O felix nimium, specus Bethlaea!
Quot o nunc titulis superba fulges!
Demissa Aligerum cohors Olimpo
Ad te jam properat, suumque regem
Prona dulciloquis modis adorat.
Quos sidus tulit insolens ab oris
Eois, posito nitore sceptri,
In te vota ferunt humi jacentes,
Et nato puero beata dona.
O felix nimium, specus Bethleaea!
O qua luce nova micas per orbem!
At tu non tenui ferenda laude
Si tantis titulis superba fulges,
Te laudent alii altiore plectro.

Digitized by Google

PARAFRASI

Felice ed inclito speco Betleo,
Di quai delizie il Ciel t'empieo!
Di quanti titoli pompeggi adorno,
Oh quanta brillati gloria d'intorno!
Sebben hai ruvido tetto cadente,
E 'l verno sparseti di neve algente;
Sebbene d'orride belve covile,
Del gregge placido ostello vile;
Pur quanta invidia tu farai altero
A città splendide nel mondo intero!
Da fiamma fervida d'amore acceso
Nel sen di Vergine dal Ciel disceso
In te vagheggiasi almo Bambino
Qual fior purpureo in sul mattino.
Felice ed inclito speco Betleo,
Di quai delizie il Ciel t'empieo!
Più bello e lucido degli astri splendi,
Oltre dell'etere tuoi pregi stendi.
Chi siede in fulgido tremendo trono,
Chi vibra il fulmine e regge il tuono,
Chi sparge grazie di terra in seno,
E manto tessegli vario ed ameno,
Chi tante fiaccole nel polo gira
Quante l'attonito guardo ne mira,
In te vagheggiasi fatto Bambino
Qual fior purpureo in sul mattino.
Felice ed inclito speco Betleo,

Di quai delizie il Ciel t'empieo?
Di spirti eterei alate schiere
Ve' come scendono dall'alte sfere,
Ve' come inchinansi al gran Signore
Con inni, e cantici di grato amore.
Di stella insolita tre regi al lume
Da piagge estranee guidati il Nume.
Ve', come adorano con doni e voti
Spogli del nitido scettro, e devoti
Felice ed inclito speco Betleo
Di quai delizie il Ciel t'empieo!
O qual abbellati novella Luce
Che di perpetuo al mondo adduce
Ma te la debile imbelle Musa
Lodar con tenui versi ricusa.
Se tanta brillati gloria d'intorno,
Se di tai titoli pompeggi adorno,
Con suon più armonico con grave cetra
Altri t' innalzino insino all'etra.

Digitized by Google

IN DIVINAM ANASTASIN AD SEPULCRUM

ADLOCUTIO

PHALEUCIUM IV.

Salve o letitiae domus benigna,
Almae facta parens salutis, olim
Quae mortis fueras domus timenda,
Ut o pulchrior enitescis aulis!
Quot o nunc titulis micas beata
Nil te dignius, elegantiusque,
Nil est sanctius, et magis colendum.
Quem virgo prius edidit misellum
Bethlaeo in stabulo, rigente bruma,
Inter et paleas molestiores
Saevo supplicio, crucisque probris
Sinu candidulo, venustiori
Tu Jesum excipis, integrumque ad auras
Cinctum tempora gloria perenni
Profers! jure tibi hoc honore plaudas,
Te cuncta hoc celebrent, ferantque gentes

Digitized by Google

Quibus melliflua recludis alvo
Cavata in rigido licet lapillo,
Fontem letitiae, per omne tempus,
Omnem quae superat beatitatem:
Salve facta parens salutis, olim
Quae mortis fueras domus timenda;
Ipsa quin homini beatiorem,
In te dum penitus ruit perempta,
Vitam mors peperit, novum stupete
Monstrum, dicite et altiore plectro
Impar hendecasyllabis tenellis
Vos, queis major inest vigor, Camoenae.

IN D. ATHANASII LAUDEM

PHALEUCIUM V.

Immensos alii canant labores,
Praeclaros aliis canant triumphos,
Quos ingens Athanas tulit catervis
Stratis Haereseos diu ferocis;
Sat mihi hendecasyllabis referre,
Parvis carminibus, parumque complis,
Sat quanta repulit sagacitate
Ineptam vitii sagacitatem
Conflagrans odio vatiniano
Ari foeda lues, nimis probatam
Frangat illius ut celebritatem,
Quid non cogitat, atque machinatur?
Quodam in concilio Patrum frequenti
Producit mulierculam nefando
Illum flagitio calumniantem;
Horret quisquis adest, et obstupescit:
Unus intrepido sed ille vultu,

Digitized by Google

Qui partes simulet suas, agatque,
Excitat catus optimum sodalem.
Femella huic facie impudentiori
Commentum scelus objicit repente.
O factum bene! strenue triumphat
Virtus, et vitio satis repulso,
Herois probitas magis refulget.
O queis ille modis dolos reclusit
Arianiadum latentiores!
Abdunt Arsenium, datumque morti
Miti a Praesule carmina ob nefanda
Personant plateas per urbis omnes.
At hunc mente Athanas sagax repertum
Sistit corpore protinus vigentem.
Nugas o quot agunt magis, magisque
Arianiades scelestiores
Ut virtutem Athanasii refringant!
Nil unquam inveniunt periculorum,
Quod non arguit ille, praevenitque
Et novo ingenio statim retexit.
Quid, quantum est hominum sagaciorum
Illo callidius, sagaciusque?

PARAFRASI.

Se d' Attanasio con grave cetra
Altri innalzarono insino all' etra
La lunga serie dei rii malori,
Ond' il crin fregiasi d' illustri allori,
Vinta l' eretica potenza rea,

Che gran dominio spiegato avea;
Tant' oltre spignere non osan l' ali
Gli endecasillabi incolti e frali.
Ridir me' possono, come sagace
Sperse la perfida calunnia audace.
Bollente d' odio Vatiniano
Il tristo e torbido stuolo ariano
Mill' arti adopera del buon pastore
Per macchiar l' inclito, almo candore:
Con mano prodiga d' oro seduce
E in pien concilio di padri adduce
Gl' inganni a tessere fabbra ben dotta
Ad ogni vizio vil donna rotta.
Quest' accagionalo con franca voce
Di colpa sordida, nefanda, atroce.
Ne freme attonito, irto il cipiglio,
Chiunque ascoltala nel gran consiglio,
Sol Attanasio, securo in viso
Acqueta il fremito con tale avviso:
Mena Timoteo, che avea d' allato
Le parti a fingere dell'accusato;
A costui l' empia donna rinfaccia
Con più ferocia la finta taccia.
O bella astuzia! al conto merto
Coglie Attanasio novello serto.
Oh! con quai facili, e destri modi
Smente Attanasio le cieche frodi.
Del tristo, e torbido stuolo ariano
Pur non arrendesi ancor l' insano,
E nuova tessegli infame tela,
Nasconde Arsenio; e atra querela
Già ratta volane per ogni lato

Che fu dal presule a morte dato,
Per i malefici orrendi riti.
Ma dove annidasi, da strani liti
Ei stana Arsenio, ed alla gente
Sedotta mostralo sano repente.
Ve' come d' Ario la sozza greggia
Contra Attanasio vana folleggia!
Quante calunnie la scaltra inventa
L' Eroe discuoprele, le stesse, e sventa.
O d' Alessandria fecondo ingegno,
Tocchi troppo arduo sublime segno;
Vinto a te cedela ogn' altro acume,
Come nell' etere di Febo al lume
Smorte dileguansi l' altre facelle,
Ch'in sè risplendono pur vaghe e belle.

Digitized by Google

IN NATIVITATEM DOMINI

AD SOLEM, UT ORTUM MATURANS, SE CONFERAT SUPER BETHLEEM.

PHALEUCIUM VI.

O qui splendidior micas in aethera
Cunctis sideribus, satis pudenda
Quae te Sol mora habet? venustiores
Eja cinge comas, citoque cursu
Bethlaeam repetas specum reductam,
Nivalem simul et tenebricosam.
Illic nempe jacet tenellus infans,
Qui de siderea timendus aula
Terrarum ima regit, polumque summum,
Qui te luce dedit nitere tanta,
At nunc ignis eget, tuaeque lucis.
En ut membra tremit gelu perustus,
Ut vagit, dolet, et latus per omne
Versatur paleas super molestas

Digitized by Google

Tepentes inhians amantes auras.
Eja rumpe moras, procul fugatis
Umbris, solve nives, gravemque brumam,
Infantem et recrea tepore leni.
Illum flore novo, novisque monstris
Natum sentit iners humus, suumque
Regem quaeque suis modis salutant.
Unus obsequium negabis ipse?
Nec vinci officiis pudet? notari
Dignam rumpe moram, silentiumque.
Quin, o Sol, lateas magis magisque,
Terras justitiae tenente sole,
Fundente et radios micantiores,
Quos gens vana tibi sacravit olim:
Honores rapiet potenter ille:
Nunc, o Sol, lateas magis magisque.

PARAFRASI

Tu che di gloria più brilli adorno
Di quanti splendono all' etra intorno
Astri vaghissimi, o Febo, ancora
In sì dannevole ingiusta mora
Ne giaci? Affrettati oltre l' usato,
Appresta il rapido carro dorato,
E sul Betlemico speco giacente,
Di fitte tenebre bujo ed algente
Deh! tosto volane sotto quel tetto:
Su strame giacesi Bambin diletto
Che dall' Empireo con alta legge

Digitized by Google

Le stelle e gli uomini il tutto regge;
Di tanta ei sparseti luce sovrana,
Ma, lasso!, a vincere l'asprezza insana
Del verno, or chiedeti con mesti lai
Cotesti lucidi focosi rai.
Ve' come tremolo pel duro gelo
Vagisce, e stemprasi in pianto anelo.
Ve' come s' agita sul fien molesto
Di riposo avido, ma sempre desto.
Un caldo zeffiro che lo ricrei
Invan desidera. I tristi omei
Deh!, Febo, ascoltane, la notte alluma,
Tosto precipita la grave bruma,
E per te s' abbia cortese e pio
Ristoro placido l' infante Dio.
Per lui riscuotesi l' inerte terra,
Che di fior gravido il sen disserra;
Tutte ridestansi le basse cose
Tributo a porgergli liete e festose,
E mille insoliti strani portenti
Con guardo attonito miran le genti.
Tu sol in ozio ne giaci indegno,
O Febo fulgido? un grato pegno
Dà pur d' ossequio al gran Signore,
Che di tal fregiati almo splendore:
Scuoti dannevole ingiusta mora,
Più vago e splendido il crin colora.
Che dissi? restati, ed altamente
Nel polo asconditi, chè più splendente
Sol di giustizia feconda luce
E di perpetuo a noi n' adduce:
I pregi nobili e' già t' oscura

Ed invincibile ormai ti fura
Quanti riscossero divini onori
Da gente credula i tuoi fulgori:
Ei sol benefico brilla nel mondo;
Deh!, Febo, asconditi nel mar profondo.

Digitized by Google

PHILIPPO

S. R. E. CARDINALI JUDICI CARACCIOLO

ARCHIEP. NEAP.

EJUS ONOMASTICA RECURRENTE DIE.

PHALEUCIUM VII.

Qui dies niveus, dies beatus!
Qui pulcher tenebris micat fugatis!
Jam coeli furor, et procella saeva
Jucundis zephyri silescit auris;
Jam imbres aethere, turbinesque cessant,
Venti diffugiunt, et atra nubes.
Qui dies niveus, dies beatus!
Signandus melioribus lapillis,
Qui sacer rediit dies Philippi;
Et vos ambrosia suaviores,
Dilecti pueri facetiarum,
Dulces Hendecasyllabi, siletis?
Eja sollicito gradu, quot estis,
Quot estis roseis genis venusti
Omne per nemus hinc volate et illinc,
Flosculos legite elegantiores,

Digitized by Google

Digna et nobilibus comis Philippi
Serta nectite diligente cura;
Philippus fidibus novis, novisque
Nunc est dulcisonis modis canendus.
Avitum genus emicans referte,
Quod et Parthenope decus superbum,
Omne et praesidium tulit per aevum;
Virtutes animi severiores
Quas tener coluit magis magisque
Doctam delicias nitentiores,
Spernere, et populi obsequentis auras
Mentem propositi sui tenacem,
Morum mellifluam suavitatem,
Oris dulciferam adlocutionem
Eja blandiloquo canatis ore.
Serta nobilibus comis Philippi
Nectite, Hendecasyllabi, decora:
Ut aequis proprium gregem gubernet
Legibus, vitiis ubique iniquus,
Ut musis foveat viros amicos,
Ut cunctis pateat benigniorque
Ut praesto est inopi, cito referte.
Philippus pater elegantiarum,
Quem Phoebus pater et novem sorores
Amant plus nitidis suis ocellis,
Vobis est fidibus novis canendus
Qua riget glacies, caletque Phoebus.
At vos, Hendecasyllabi tenellis
Quamvis ambrosia suaviores,
Nescii tamen explicare honores
Philippi, unde pedem malum tulistis,
Abite, Hendecasyllabi, silete.

PARAFRASI

Che giorno lucido, giorno beato!
Scosse le tenebre dal ciel turbato.
I venti fuggono e la tempesta
Le volte cerule più non infesta;
Non più disciogliesi il fero nembo,
Che d' alto infuria di terra in grembo:
Spira di zefiro sol la grat' aura,
Che in seno l' ansie cure restaura.
Che giorno lucido, giorno beato!
A Filippo inclito giorno sagrato.
Di pietra candida si apponga un segno,
Ciascun il celebri con nuovo impegno.
E voi d' ambrosia più dolci versi,
Endecasillabi giocondi e tersi,
Fanciulli amabili, cui d' odorose
Le guance tingonsi vermiglie rose,
Ne state taciti? Olà movete
Il piede celere quanti pur siete
Di Flora all' ampio grato soggiorno
I fiori a cogliere intorno intorno,
Formate un nitido e degno serto
Di quel, che celebro, al sommo merto,
A chiome nobili del buon pastore
Ghirlanda adattisi di scelto fiore:
A cantar sorgasi le sue gran lodi
Con cetra armonica in nuovi modi,
La sua progenie, il sangue avito,

Che di Partenope illustra il lito,
Che recò gloria alla cittade,
Sostegno valido in ogni etade:
Presto lodatemi, ma me' cantare
Convien dell' animo le virtù rare,
Che fin da' teneri anni seguio
Con petto fervido nè mai languio,
La mente stabile nel suo consiglio,
Che le delizie con alto ciglio
Sprezza, e del popolo la lusinghiera
Aura, ch' è pabolo di mente altiera;
La sua modestia, il suo costume,
Che spande rapido, u' splende, lume,
I tratti amabili di sua dolcezza
Di fasto scevera o d' alterezza,
Del labbro i teneri melliflui accenti
Or su cantatemi in bei concenti.
Endecasillabi, al buon pastore
Ghirlanda donisi di scelto fiore:
Com' Egli regoli il ligio gregge
Infesto al vizio con equa legge,
E delle lettere gran Mecenate,
Come proteggane le schiere amate,
Com Egli facile ridente in volto
A tutti mostrisi e presti ascolto,
Come a soccorrere cui già maligna
Preme miseria la man benigna,
Porga, riditemi, e al buon pastore
Ghirlanda donisi di scelto fiore.
Il padre Apolline e le sorelle
Versaron grazie in lui più belle,
Per lui nutriscono più caldi affetti,

Più caro il tengono dei loro occhietti.
Con cetra armonica le sue gran lodi
Or su, cantatemi in nuovi modi,
E 'l suono ascoltisi in ogni loco
Fin dove domina il freddo e il foco.
Ma, poichè teneri di canto ignari
Di Filippo inclito i pregi rari
Con troppo debile cetra cantaste,
Tornate celeri donde sloggiaste,
Sebben d'ambrosia più dolci versi,
Endecasillabi giocondi e tersi.

Digitized by Google

CAJETANO CIARAMELLIO

EQUITI DISTINCTI ORDINIS CAROLI III HISPANIARUM REGIS

IN REGIA TOTIUS REGNI STUDIORUM UNIVERSITATE

PROPRAESIDI

AMANTISSIMO LITTERARUM MAECENATI

IPSIUS ONOMASTICA RECURRENTE DIE

STEPHANUS VIGLIONE

PARVIS HENDECASYLLABIS SALUTEM

PHALEUCIUM VIII.

Cunctis digna coli en dies renidet,
Festis quam Charites beant choreis,
Ipse quam Pater, et novem sorores
Certant blandisonis sacrare plectris:
Et vos melliflui, venustulique,
Dilecti pueri siletis? Eja
Tam laeta pudeat silere luce.
Fides sumite blandius sonantes,
Et viam celeri vorate gressu.
Haud ignota domus petenda vobis,
Ascensu licet arduo, gravique,
Centum quippe gradus superbit alta:

Digitized by Google

Cuncta at vincit amor: benigniores
Vos ferunt pueros amoris. Eja
Quid cessatis adhuc, adhuc siletis?
Cajetanus honor, decusque vestrum,
Quo nil carius est, amantiusque,
Per vos promeritam ferat salutem.
Ite, nec teneat pudor subire
Cultu candidulos lares, et omni
Politos genere elegantiarum
Doctae Palladis et laboriosae:
Totos namque dies, patentque noctes,
Queis bonae sapiunt, placentque musae.
Ite: sive libris vacet legendis,
Seu dictet calamo secundiore,
Omne quod maneat perenne in aevum,
Aut (quod saepe solent) tenent amici,
Vos statim Ciaramellius benignis
Modis excipiet, sinuque amanter
Complexus roseis genis venusta
Figet millia basiationum.
Ite et prospera quaeque comprecantes
Illi optate, bene ut sit, et beate,
Dum Coelum faculis micat coruscis,
Dum fontes vitreis fluunt ab undis,
Dum perbella comas nitet corollis
Tellus vere novo, levesque fundunt
Aves dulcisonum melos per auras.
Perfuncti officio, molestiores
Ne sitis nimia loquacitate,
Silete, et celerem huc pedem referte.

—

JOSEPHO PAPPALARDI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI

IN NEAPOLITANA METROPOLITANA ECCLESIA

PRAESBYTERORUM ORDINIS CANONICO

AD COMPSANAM SACRAM REGENDAM CATHEDRAM

BONIS OMNIBUS SUFFRAGANTIBUS

EVECTO

STEPHANUS VIGLIONIUS SACERDOS

Ipso faustae inaugurationis die
Gratam hanc exiguis modis salutem.

PHALEUCIUM IX.

Sume dulciloquam lyram, novumque
Funde, Parthenope, melos benignum;
Colles Pausilypi, Vesevus, orae
Quot circum redolent amoeniores,
Tecum blandisonas agant choreas:
Et myrto, et violis, rosisque abunde
Viae praeniteant venustiores,
Templa mellifluis crepent ab hymnis,
Arae thuricremis focis vaporent,
Cuncta laetitiam explicent per urbem:
Digna quippe coli dies renidet.
Quem virtus aluit tenello ab ungui,

Digitized by Google

Pudor, Relligio, Fides, et almae
Foverunt Charites satis superque,
Josephus meritos refert honores,
Josephus merita micat tiara.
Plaude, Parthenope, magis magisque,
Funde, Parthenope, melos benignum.
Quem Phoebus pater, et novem sorores
Amant plus nitidis suis ocellis,
Doctorum decus, inclytumque lumen,
Urbis deliciae, beatitasque,
Auctus promerita micat tiara.
Plaude, Parthenope, magis magisque,
Joseph flosculus elegantiarum
Suadae gloria, nobilisque splendor
Virtutum columen sacratiorum,
Quo nil dulcius expolitiusque est
Quicquid est hominum expolitiorum,
Nunc jam promeritos refert honores.
Plaude, Parthenope, magis magisque:
Doctrina, ingenio, suavitate
Morum qui tibi gloriam perennem
Contulit titulis novis daturus
Majorem, meritos referre plausus
A te nunc decet, et bonam salutem.

Digitized by Google

Magna canant alii : pueri cunabula circum
Nos jubet at calamo ludere musa levi.

XYSTO

EX DUCIBUS RIARIO SFORTIA
ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO
S. R. E.
CARDINALI PRESBYTERO
STEPHANUS VIGLIONIUS SACERDOS
E TERRA MALETI
IN ARCHIEPISCOPALI NEAPOLITANO CLERICORUM GYMNASIO
ELOQUENTIAE PROFESSOR
HUMANAE SALUTIS REPARATORIS
NATALI RECURRENTE DIE
PASTORI AMANTISSIMO
PARVIS HENDECASYLLABIS SALUTEM

PHALEUCIUM X.

Jam natalis adest dies, puelli,
Quo nil gratius èst, venustiusque,
Quot unquam fuerunt, eruntque in aevum
Pupi candiduli, venustulique,
Cujus purpureo beantur ore
Chori coelicolum frequentiores;
Olli cuncta bonam ferunt salutem,
Illum cuncta suis modis celebrant.
At vos, o pueri elegantiarum
Dilecti, hendecasyllabi, siletis ?

Jam noctis tenebris procul fugatis,
Astra en luce micant nitentiori.
Quos opima solet novata vere,
Flores terra tulit, rigente bruma.
Ferarum ante specus viden canoris
Ut hymnis superum sonet benignam
Pacem terrigenis, Deoque summo
Gloriam magis, et magis precantum
Vel ipsae per agros amoeniores
Carpunt gramina laetius capellae,
Et jocos agitant, novosque lusus.
Quin ponit rabiem, malasque fraudes,
Et inter placidas oves luporum
Turba nunc hilares agit choreas.
Montes laetitia fremunt et arva,
Valles laetitia sonant reductae,
Fontes laetifluis nitent ab undis.
Et vos statis adhuc, adhuc siletis,
Dulces hendecasyllabi? Quot estis
Nunc, nunc sollicito volate gressu
Ad speeum Bethleem satis beatam,
Qua Deus jacet, atque vagit infans.
Vestris dulcisonis modis quietem
Illi conciliate, somnulumque:
Audin quos gemitus doloris edit!
Viden quot lacrymis madent ocelli!
Totos ut riget ac tremiscit artus!
Nempe sollicitant premuntque curae,
Membra laedit hyems nimis molesta,
Laedunt et paleae nocentiores:
At vos, hendecasyllabi, quid ultra
Cessatis? quid adhuc siletis? ipsa

An ignota via? aut viae pericla,
Caecasque insidias timetis? eja
Agite, dux aderit, comesque Xystus,
Quo quid tutius est, benigniusque?
Ille monstrat iter, regitque gressus.
Nil tanto duce fas timere vobis,
Non furta impia, non manus latronum,
Casus aut alios periculorum.
Per illum puero licebit almo
Et centum dare basiationes,
Et regum praetiosiora ferre
Munera, unde redit sat ampla merces,
Omni quae maneat perennis aevo.

Digitized by Google

IDEM ARGUMENTUM

AD INFANTEM JESUM

ADLOCUTIO

PHALEUCIUM XI.

Quibus te potius modis celebrem,
Puer blandule, delicate, nullum
Quo nec terra tulit, feretque in aevum,
Sed nec ferre potest venustiorem? (1)
Vultu quanta tuo insidet voluptas!
Fronti qualis honor, beatitasque!
Vincunt astra tui nitore ocelli,
Malae purpureas rosas, et omnes
Quot flores vario colore tellus
Profert alma sinu, tepente vere.
Favo mellifluo suaviora (2)
Ostro clarius enitent labella:
Cedunt balsama, molliusque costum
Tibi, et quicquid habent odoris horti:

(1) Speciosus forma prae filiis hominum. Ps. 44, ver. 3.
(2) Favus distillans labia tua. Cant. cap. 4, v. 12.

Totus candidulus, rubensque totus (1),
O nulla, Puer, inquinate labe (2).
At o quid sibi cum decore tanto
Gratiisque volunt amariores
Quas fundis lacrymas? quid usque vagis?
Quae te sollicitant, premuntque curae?
Num laedit tua membra mollicella
Durus lectulus, asperumque stramen?
An noctis tenebras, gravemne brumam,
Aut lares inopes doles, sonantes
Quos circum Boreas, Notusque perflant?
Quid? novi: gemitus amoris edis,
Amorem magis expetis, magisque,
Aptum et pace locum (3), benigniori
Membra ubi releves tenella somno?
Praesulis pete sacra tecta Xysti;
Hîc vanis procul, et procul fugatis
Curis, divus amor suam locavit
Sedem, quam Charites decenter ornant:
Pax et justitia hîc pudica in horas
Miscent millia basiationum:
Cuncta hîc invenies amore plena.
Quid moraris adhuc, Puer tenelle,
Puer blandule, delicate? Xysti
Praesulis pete sacra tecta: nulla est
Sedes hac Tibi dignior per orbem.

(1) Dilectus meus candidus et rubicundus. Ibid. cap. 5, v. 10.
(2) Et macula non est in te. Ibid. cap. 4, v. 7.
(3) Et factus est in pace locus ejus. Ps. 75, v. 3.

Digitized by Google

PARAFRASI

Qual metro scegliere or mi conviene
A sciorre un cantico al caro Bene?
Bambino amabile, cui ride in fronte
Beltade e grazia con liete impronte,
L' orbe terraqueo cui non ha eguale
Fra quanti spirano l'aura vitale.
Che gioja tenera il viso spira
A chi con estasi dolce ti mira!
Con raggio insolito le luci belle
Assai rifulgono più, che le stelle;
Le gole vincono gaje e vezzose
Pur le purpuree leggiadre rose,
E de' fior varii l'immensa schiera,
Che d' onor fregiano la primavera.
Più che ostro brillano le labbra, e dolce
È quel sorridere che il core molce:
Il costo, il balsamo, e quanti odori
Gli orti tramandano da' vaghi fiori
Pur a Te cedono: tanto sei bello,
E rosso, e candido, e graziosello.
Ma tra' rai fulgidi di tua bellezza
Qual nero indizio il cor mi spezza?
Tu versi lacrime e duolo additi,
E l' aure echeggiano a' tuoi vagiti.
Ma qual fia causa del tuo dolore?
Forse del gelido verno il rigore,
Del fieno o i pungoli, quai crude spine,

Le molli aspreggiano membra divine?
O il tetto povero, o ti contrista
Di Noto e Borea la forza trista?
T'intendo: gemiti d'amor son questi,
Onde negli animi amor si desti;
Che se pacifica magion tu brami,
E sonno placido dormir pur ami,
Del nostro Presule amato ognora
L'albergo nobile scegli a dimora,
Ove pestifere aure bandite
Virtù dimorano a te gradite,
Amor etereo e Fede rara,
Cui l'alme grazie ornano a gara.
Qui indissolubile nodo tenace
Ritien Giustizia stretta alla Pace,
E mille stampano baci sul viso
Tra lor presagio di paradiso.
Di pace l'aria sentor qui rende,
Amore stabile qui tutto accende.
A che più indugiasi? o pargoletto
Leggiadro, tenero vola in quel tetto:
Fra quante il rapido Sole ne guata,
Mostrar non possoti stanza più grata.

IDEM ARGUMENTUM

PHALEUCIUM XII.

Excipe, Xyste bonus, quae parvula munera sistit,
Dum Pueri circum ludit cunabula musa.

En qui sidereo tonans ab axe
Regit numine cuncta praepotenti,
Quem cori Aligerum verentur almi,
Tremunt daemones, et pavent, peramplus
Cujus imperium stupescit orbis,
Factus parvulus est nimis tenellus,
En specu Betlehem rigente bruma
Cinctus fasciolis jacet misellis.
Nempe ut alliceret suavi amore
Procaces hominum rudesque mentes,
Membra candiduli induit puelli.
O quantis nitet ille perbeatis
Oris blanditiis! micantis instar
Solis ut rutilant, nitentque ocelli!

Digitized by Google

Genae purpureae venustulaeque
Manus, frontis honos, serenitasque,
Dulces cuncta cient amoris ignes:
Ipsae quas hyemis rigentis atrox
Vis premit lacrymas molestiores,
Excitat tenerum, fovetque amorem.
Totus candidus est, rubensque totus,
Toto pectore quem colant per aevum
Cuncti terrigenae, polique cives
Ecquem non capiunt, trahuntque tanti
Dilecti species, amor, decusque?
Corde vel penitus carebit ille,
Ferarum aut cor habet, ferociusque.
O qui sponte tua magis magisque
Divino igne cales, sub antra Bethlem,
Xyste , jam propera, comes benignus
Te deducet amor, Deoque nato
Amoris tribues beata dona :
Namque hic cuncta sonant, jubentque amorem,
Cuncta hic divus amor gubernat : eja
Nunc, nunc, sollicito volato gressu
Ad specum Betlehem satis beatam,
Quo te, Xyste, tuus potenter urget
Amor, cui mora fit molesta semper.

Cum religiosum habitum tertii Ordinis D. Francisci auctoris Soror indueret in venerabili Monasterio Pratensis institutionis, quod ad plagam Olympicam extat.

PHALEUCIUM XIII.

Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. *Cant.* c. 3, v. 4.

Saecli deliciae, valete, abite,
Saecli multivolae valete pompae,
Fallaces species, valete, honores,
Cunctis materies mali valete,
Opes; nempe hominum nitore mentes
Dum caecas trahitis, dolos, necesque
Quot illis struitis maligniores!
Ecquid statis adhuc? valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Saecli deliciae, cupidinesque.
Me tenet potior, beatque totam,
Toto pectore quem cupivi, et arsi,
Dilectus super expetendus omnes,
Quotquot terra colit magis venustos.

Digitized by Google

O quantum est hominum beatiorum
Quid me laetius est, beatiusque?
Per vicos, plateasque civitatis
Quem noctes petii, diesque, ferro
Fontem, cerva velut petita aquarum,
Inveni, en teneo meis in ulnis
Dilectum magis, et magis venustum.
Haud illum abripient minax tyranni
Ensis, vel favor, haud graves ruinae,
Casus non alii periculorum.
O quae gaudia, grata quae voluptas!
Quem jamdudum praeoptat unum,
Dilectum en teneo meis in ulnis.
Quid illo metuam tuente, quamvis
Circumstent acies petantve mille?
Ille deliciis beabit almis,
Ille me smaragdis dabit nitere,
Qui vincant rutilas decore gemmas.
Huc, huc, filiolae Sion frequentes,
Gratari cytharis venite mecum,
Et festas agite, ut decet, choreas.
At vos deliciae, cupidinesque,
Saecli pompae, et opes, valete, abite.

PARAFRASI

Vane delizie, fallaci onori,
Pompe stranissime, vaghi tesori,
Alto abominio del core mio,
Di qua partitene, addio, addio,

Digitized by Google

Bello ed amabile viso mostrate,
Ma strale orribile in sen celate:
Oh! quanto è misero chi a voi s'inchina,
Quanta sovrastagli trista rovina!
E che più tardasi? addio, addio,
Vane delizie del secol rio.
Da me partitene, e là traete
U'stanza, e fatui cultori avete.
A ben più stabile, più vago assai
Dell'alma gl' intimi sensi sacrai:
Dall'età tenera per questo core
Ei già fu l' unica metà d' amore:
Su quanti pregiansi terreni amanti
Ei spicca splendidi sovrani vanti.
Cessate, o stolidi ciechi mortali,
I vostri estollere diletti frali;
La gioja e il gaudio che sento in seno,
Sì che me rendono contenta appieno;
Finiro l' ansie, i tristi omei,
Alfine compionsi i voti miei:
Rinvenni il tenero cerco Diletto,
Che mi delizia tra braccia stretto.
Come alla limpida fonte gradita
Anela rapida cerva ferita,
Per lui sollecita e notte e giorno
N' andai per l' ampia città d'attorno.
Oh qual letizia, che bel godere,
All'ombra placida di Lui giacere !
Lusinghi, o infurii crudel tiranno,
No che ritogliermi non mai potranno
Carezze, od orride temute pene
L' alma dovizia di tanto bene;

Benchè precipiti la terra, il cielo,
Benchè mi triboli di fame il telo,
Tra rei pericoli, sia verno, o state,
Eterna giurogli fede e pietate.
Oh quale gaudio, quale contento
Brillarmi insolito nel sen mi sento!
Dell'alma l' unico dolce Diletto
Già lieta godomi tra braccia stretto.
Ei tutt' accendemi di sue vaghezze,
Ei tutta inondami di sue dolcezze;
Di tal mi fregia beltà sovrana,
Che ogni altra supera beltade umana,
E a me la cedono le stesse stelle,
Che in cielo splendono più vaghe e belle.
Deh! qua recatevi, o di Sionne
Splendore e gloria, leggiadre donne,
E con le cetere montate in oro
Levate cantici a pieno coro.
Risuoni l' etere di melodia,
Meco allegrandovi di sorte mia;
Ma voi partitene, addio, addio,
Alto abominio del core mio,
Vane delizie, fallaci onori,
Pompe stranissime, vaghi tesori.

Digitized by Google

Cum eadem Auctoris Soror germana religionem profiteretur.

PHALEUCIUM XIV.

DIVINI SPONSI AD SPONSAM INVITATIO
e *Cant. Cantic.* cap. IV et V desumpta.

Exurge, ecquid adhuc moraris, almae
Sponsi deliciae, meliculumque?
Lentam nonne pudet jacere somno,
Cum jam cessit hyems, gravesque nimbi,
Cum cessere nives, rigensque bruma?
En veris comites tepent favonî,
Mellito en resonat canore turtur,
Omne cui genus adcinit volucrum.
Nostra en ridet humus novis referta,
Quos fundit vario colore flores.
Surge, rumpe moras nimis molestas,
Soror, sponsula, corculumque Sponsi,
Huc veni, propera, unice expetita,
Tu, quae candidior nitescis una
Gemmis candidulis, rosisque vernis:
Nil te gratius est, venustiusque,

Digitized by Google

Nil perfectius, elegantiusque.
Surge, Sponsa, veni, quid usque cessas?
Frondosum Libanum relinque, dulcis,
Huć, amica, veni, veni tenellis
O quae pulcrior enites columbis.
Veris perpetui hic micant honores,
Hic mirrha, hic aloe, viretque nardus,
Crocus, cinnama, balsamumque, et Hermon,
Amanaeque jugis suaviores
Quot herbae redolent: feres, amica,
Inde, si venies, comas decebit
Qua non altera gratior corolla,
Si te nulla micat Sionis inter
Natas sponsa prior decentiorque.

PARAFRASI

Deh sorgi, affrettane il tuo diletto,
Dolce delizia di questo petto.
Poltrire in placido dolce sopore
Di me dimentica ti fia rossore.
Cessò de' nugoli la ria tempesta,
Di Noto e Borea l'ira funesta;
Le nevi caddero, e a'rigidetti
Euri successero i zefiretti:
Ve' come aggirasi canora e snella
Pe' campi floridi la tortorella,
E tutta provoca l'alma genia,
Che sparge l'etere di melodia.
Su, presto, levati; che più si aspetta,

O di quest' anima metà diletta?
Deh vieni a compiere l'ardente brama
Di chi con fervidi prieghi ti chiama.
A' tuoi s' inchinano pregi divini
Le rose candide ed i rubini.
Tu sei già l' unica perfetta sposa
Tutta di gloria ricca e vezzosa.
Tronca gl' indugii, chè più non lice
Tardar: del Libano dalla pendice
Scendi, qual tenera colomba pura,
U' da' pericoli vivi sicura.
Regna perpetua qui primavera
Intatta a' turbini d' atra bufera.
Il nardo, l' aloe, la mirra, il croco,
Ridenti crescono in questo loco;
Havvi del balsamo sempre olezzante,
Havvi del cennamo qui scelte piante;
L' erbe odorifere d' Ermon, d' Amano
Qui pur raccolgonsi a larga mano.
Che più s'indugia? deh vieni, o cara,
Ghirlanda a cingerne leggiadra e rara,
E ben richiedesi al tuo gran merto
Impareggiabile sovrano serto,
Poichè tu superi l'eccelse spose
Che in Sion tengonsi più gloriose.

In sollemni studiorum inauguratione cum praemiis donarentur qui diligentiorem per exactum annum studiis dederunt operam.

PHALEUCIUM XV.

En quanto studio, quot usque curis
Nostras sollicitat, foveique mentes
Xysti dulcis amor, benignitasque !
Non sic deliciis suis tenellis
Natis solliciti cavent parentes;
Non sic pastor oves vigil tuetur
Ferarum a rabie, latrunculisque,
Ut nos Xystus amat satis superque,
Nostrisque invigilat quietis expers
Noctes atque dies bonis fovendis.
Novos en stimulos, novosque subdit
Nobis igniculos: colamus artes
Nempe ut ingenuas, sacrasque musas
Toto pectore, viribusque mentis,
Inter mellifluos sonos et almos

Digitized by Google

Plausus praemia donat ampliora.
Quam factum bene! quid puellulorum
Potest acrius excitare mentes?
Lucellis animi rudes tenentur,
Fraenum et verbera perdomant asellos,
At quos una capit cupido laudis,
Trahunt praemia quolibet puellos:
Haec magnos faciunt viros, ducesque
Haec omnes generant, alunt et artes.
At, o vos teneri puelli, amabo,
Xysti pro facili benignitate
Grates quas meritas agetis Olli?
Si vobis placeat, libenter ipse
Paucis expediam: magis magisque
Versate assidua manu libellos,
Ut centum altera dein benignus
Donet praemia, et altera, usque et usque:
Hoc nil pulchrius est, honestiusque,
Nil est gratius, obsequentiusque,
Magno Praesuli et optimo Parenti.

PIO IX P. M.

DUM VILLA PORTICUM MORARETUR.

PHALEUCIUM XVI.

Quamvis exigui nimis puelli,
Vos joci potius juvent benigni,
Nec vestrum est resono, gravique plectro
Ferre pro meritis ad astra dignos
Magna laude viros; tamen sonanti
Dum plausu micat Urbs satis superque,
Et certans studiis Pium salutat,
Vos uni, Hendecasyllabi, siletis?
Vos quoque officium, et bonam salutem
Debetis tenero nimis Parenti
Pio, quippe pios decet puellos,
Mereri obsequio sibi parentes.
Eja mellifluas lyras tenellis
Nunc aptate humeris, Piumque adite,

Digitized by Google

Non longa est via, nec periculosa,
Non molesta, satis sed expedita,
Nostros ille tenet, beatque colles,
Eja sollicito volate gressu,
Nec vos, quod triplici micat Thiara,
Quod celsam Pius occupat Cathedram,
Septus militibus, gravique pompa,
Ullus aut timor, aut pudor retardet.
Ut vim magnam habeat, potentiamque,
Ut totum regat et gubernet orbem,
Magna praeditus est benignitate,
Melle et dulcior est, suaviorque.
Ipsa simplicitas, et oris almus
Vos candor faciet favore dignos,
Et viam facilem dabit: negatur
Saepe quod gravibus viris, libenter
Solet simplicibus dari puellis.
Itote; excipiet Pius benigne.
Olli gloriolae decentioris,
Omni quae maneat perennis aevo,
Vestris blandisonis, venustulisque
Modis nectite bellulam corollam.
Quod chori faciunt sonantiores,
Vos et dicite io triumphe, dulci
Voce; nec semel, at magis magisque
Io, dicite, io triumphe, laeti.
At, ne quid levius, vel insolenter
Agatis, pedibus prius verendis
Centum figite basiationes
Demissis oculis, genuque flexo;
Functique officio usque et usque centum
Alteras date basiationes,

Et recta huc celerem gradum referte.
Hoc vobis bene, rite, belluleque
Si factum fuerit, licet puellis
Mercedem Ille dabit favoris amplam;
Namque est simplicitas favore digna.

Digitized by Google

HIERONYMO EX MARCHIONIBUS DE ANDREA
EX COMITIBUS TROIAE
EX DINASTIS AREMANENSIUM
EX ORIGINARIIS PATRICIIS
VITERBIENSIBUS ET CALATAHIERONENSIBUS
EQUITI HIEROSOLYMITANO
PONTIFICI MELITENENSIUM
NUNTIO APOSTOLICO
APUD HELVETIOS
AB ACTIS COLLEGII
DECRETIS CONCILII TRIDENTINI TUENDIS
IN AMPLISSIMUM SENATUM
S. R. E. CARDINALIUM
COOPTATO
CUNCTIS PLAUDENTIBUS BONIS
STEPHANUS VIGLIONIUS
GRATULABUNDUS

PHALEUCIUM XVII.

Huc, huc, o pueri elegantiarum,
Dilecti Hendecasillabi, venite,
Quot estis celeri venite gressu:
Vestras namque fides, modosque poscit
Sacrum qui magis, et magis tuetur
Nomen moribus integris (a) et ornat

(a) Apto cum nomen non esset dicere versu,
Reddidit a graecis dictio bina sonis.
Nimirum Hieronymus a duobus graecis vocabulis descendit.

Per novos titulos, novosque honores
Clarum nominibus feres virorum
Avitum decus, inclytosque fastos.
Nimirum pietas, fides, et alma
Necnon et charites tenello ab ungui
Suis plus nitidis amare ocellis;
Cunctis fingere gratiis, modisque,
Mentem litterulis fovere amicis,
Nil illo integrius, benigniusque,
Nil et gratius, elegantiusque.
Illum propositi tenaciorem
Non malae illecebrae, cupidinesque,
Non coeca ambitio, aut levis popelli
Aura, vel furor hostium minantûm,
Casus non alii periculorum
Dimovere suo gradu parumper.
At vos tot meritis parem negetis
Laudis, hendecasillabi, corollam,
Omni quae maneat perennis aevo?
Eja nunc celeri volate gressu,
Melos fundite jam lepore plenum
Olli, cum merito nitescit ostro,
Et novis titulis honoris ornat
Avitum decus, inclytosque fastos.
Ecquid statis adhuc, adhuc siletis?
Tantam scilicet haud valetis ipsi
Virtutem cytharis referre parvis,
Plectro quae meret altiore tolli.
At saltem teneram, bonam salutem,
Istam ferte hilares magis, magisque,
Ipsi ut vita fluat secunda, nullae
Quam tristes agitent, premantque curae

Fortunaeque vices malignioris,
Ipsi, dicite, sit bene, et beate,
Dum pulcher faculis polus renidet,
Dum ver egelidos refert tepores,
Dum tellus vario colore ridet,
Dum pisces liquidis natant in undis.

Cum religiosum habitum quaedam indueret.

Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo — CANT. cap. 2.

PHALEUCIUM XVIII.

O quae gaudia, grata quae voluptas
Nostros usque sinus et usque pulsat!
Quem noctes cupii, diesque, tandem
Dilectum teneo, meisque in ulnis
En complexa fruor magis magisque;
Illius placidam en quiesco ad umbram,
Quo nil dulcius est, venustiusque,
Qui choros superum beat frequentes,
Per quem deliciis decora tellus,
Per quem sideribus polus renidet.
Mendaces alii petant honores,
Quaerant divitias fugaciores,
Vesanas alii levesque pompas,
Saecli et delicias, cupidinesque:
At contenta meo magis magisque
Dilecto, referam benigniores
Inde divitias, opes, honores,
Quae nullos metuunt malos latrones,
Fortunae aut dubias vices, et hostes,

Aut casus alios periculorum.
O quid ditius est, beatiusque,
Quid me dignius est, benigniusque?
Toto pectore quem cupivi, et arsi,
Dilectum teneo meis in ulnis:
O quantam inde fero beatitatem
Succo nectareo suaviorem,
Dulci et ambrosia magis petendam!
Quid me carius est, honestiusque?
Quos gentes vocitant nimis beatos,
Regum sors mea clarior potentum;
Dum regem Superum, Arbitrumque regum
Dilectum teneo, illiusque ad umbram
Omni jam sedeo metu soluta.
O quae gaudia, grata quae voluptas
Nostros usque sinus et usque pulsat!
Circum me date flosculos recentes,
Quippe pectoris intimae medullae,
Dilecti nimio estuant ab igne
Mundi quo pereunt amoris ignes.

PARAFRASI

O quale gaudio, quale contento
Brillarmi insolito nel sen mi sento!
Rinvenni il tenero cerco diletto,
Già lieta godolo tra braccia stretto.
Di lui sollecita ne andai d'attorno,
Forte chiamandolo la notte e 'l giorno:
All'ombra placida di lui giacere

O quale arrecami dolce piacere!
Di tanta Ei sfolgora beltà sovrana,
Ch' ogni altra supera vaghezza umana,
E col vaghissimo giocondo viso
Fa lieti gli angeli del paradiso.
Quante risplendono stelle sul polo,
Quante delizie nel vasto suolo
Dell'orbe ammiransi, e raggi e dono
Del vago e amabile diletto sono.
Altri pur pregino i vani onori,
Altri si appaghino de' bei tesori,
Di pompe fatue, v'è chi si pasce
D' amore, origine di mille ambasce.
Ben io dell' unico Diletto in seno
Contenta, ed ilare ne vivo appieno.
A larga copia da lui mi viene
Ogni dovizia ed ogni bene
Sincero e stabile che di fortuna
Non teme il volgere, o a notte bruna
Nemiche insidie frodi inumane,
O quante fingonsi vicende strane.
Qual avvi gloria, quai pregi rari,
Che al cielo estollonsi de' nostri al pari?
Già la meta ultima de' miei desiri
Cerco con fervidi alti sospiri.
Rinvenni il tenero vago diletto,
Già lieta godolo tra braccia stretto.
Ei tanta infondemi nel sen dolcezza,
Che tosto sgombrane ogni amarezza.
Più del nettareo dolce liquore,
Più dell'ambrosia in tutte l'ore
Gioconda insolita gioja e contento

Nel vago e amabile Diletto sento.
Qual avvi gloria, quai pregi rari,
Che al cielo estollonsi de' nostri al pari?
Degni d'invidia i re potenti,
Che scettro stringono, stiman le genti.
De' re più nobile ed a ragione
La mia si reputi condizione:
Chè sull' empireo sovrano impera
E de' re umilia la cresta altera
Il vago e amabile Diletto mio,
In un benefico, tremendo Iddio.
All'ombra placida di lui giacere,
Oh quale recami dolce piacere!
Oh quale gaudio, quale contento
Brillarmi insolito nel sen mi sento!
Via su recatemi fresche e odorose,
Che mi rinfranchino, viole e rose.
Io languo esanime per l'alta fiamma
Che del cor l'intime fibre rinfiamma,
E tutta struggermi con tale ardor,
Che ogni altro supera creato amor.

XYSTO
EX DUCIBUS RIARIO SFORTIA
TIT. S. SABINAE S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO
ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO
STEPHANUS VIGLIONIUS
IN NEAPOLITANO ARCHIEPISCOPALI CLERICORUM GYMNASIO
ELOQUENTIAE PROFESSOR
HUMANI GENERIS SERVATORIS
NATALI RECURRENTE DIE
SUETIS HENDECASYLLABIS SALUTEM

PHALEUCIUM XIX.

AD INFANTEM JESUM

ADLOCUTIO

Jam nunc parce queri, Puer venuste,
Parce lacrymulis satis molestis,
Vagitus cohibe nimis dolentes;
Non istos lacrymae decent ocellos,
Queis nil pulcrius est, nitentiusque.
Foedant has lacrymae genas rubentes,
Quae veris speciem, decusque vincunt:
Quid cum melliflua suavitate
Oris hae miserae nimis querelae?
Parce ah parce queri, Puer venuste,
Tu risus superum, beatitasque,
Terrae delicium, suaviori
Cunctis melle super petendus usque.
Jam nunc parce queri, quiesce tandem,

Puer bellule, delicate, vel dic
Quid fles, quidve doles? tenebricosam
Specum terrificis lupis scatentem?
Noctis an tenebras opaciores?
Brumam vel rigidam magis magisque?
Membris vel paleas graves tenellis?
O nunc parce queri, quiesce tandem,
Puer bellule, delicate, terris
Quo nil gratius elegantiusque est.
En Xystus tibi commodas paravit
Cunas, pectoris intimos recessus:
Illic invenies amoris ignes,
Queis artus releves gelu perustos,
Illic et violas leges, rosasque,
Illic lilia pura castitatis,
Illic queis pueri tenentur almi,
Omnes invenies, legesque flores,
Et quae Te capit, et beat, serenae
Illic pacis habes decentiorem
Sedem. Parce queri, quiesce tandem.
Iam nunc, belle Puer, Puer tenelle,
Istam linque specum Tibi molestam,
Et gressu celeri volato ad almi
Xysti pectoris intimos recessus:
Haec Te dignior est, honestiorque
Sedes qua strepitu procul fugato,
Licebit placidos inire somnos.

—

CAIETANO BARBATO

IN URBANO SEMINARIO POETICES PROFESSORI
LIBRORUM QUI AB EXTERNIS ORIS AD NOS AFFERUNTUR
CENSORI
HERCULANENSIS ACADEMIAE SOCIO
SACRAE THEOLOGIAE LAUREA DONATO
CUM AB EMO SYXTO RIARIO SFORTIA
OMNIUM ORDINUM SUFFRAGATIONE AC PLAUSU
INTER AMPLISSIMOS ECCLESIAE METROPOLITANAE
CANONICOS
ESSET COOPTATUS
STEPHANUS VIGLIONIUS
PRO SUA IN EUM OBSERVANTIA
PARVIS HENDECASYLLABIS SALUTEM

PHALEUCIUM XX.

Eja plaudite, quotquot estis omnes,
Dilecti pueri elegantiarum ;
Mellitis fidibus venustulisque
Melos fundite, quod suaviore
Vincat nectareos lepore succos.
A vobis meritam ferat salutem
Cajetanus, amor, decusque vestrum,
Qui vos excoluit tenello ab ungui,
Gratiisque dedit novis nitere
Per novos magis et magis labores.
Illum plus nitidis suis ocellis
Et Phoebus pater, et novem Sorores
(Nec vos forte latet) per omne tempus
Amarunt satis, et super benignam
Mentem litterulis bonis foventes,
Et nunc promerito beant honore.

Digitized by Google

En in conspicuo virum Senatu,
Quo nil est gravius, magisque sanctum,
Mitra candidula sedet decorus
Cajetanus, amor, decusque vestrum.
Ut laeti officiis frequentiores
Olli plaudere, et hinc et inde certant
Cives, laudibus efferuntque ad astra!
O factum bene : pluris aestimari
Rarum quodque solet : merentur almae
Tantum litterulae decus, nitorem
Per quas accipiunt honesta facta,
Atrae quae tenebrae obruunt premuntque,
Luce ni faveant sua Camoenae.
At vos nullus habet pudor silendi?
Eja solliciti, viam volantes,
Quamvis illepidi, parumque compti,
Cum sitis pueri nimis tenelli,
Illi ferte hilarem, ut decet, salutem.
Et dicenda die in bona ac beata
Verba dicite millia, et trecenta,
Dein mille altera, et usque et usque mille,
Dum vox deficiet canora vobis.
Perfuncti officio, et parum morati
Xysti splendidulos lares adite,
Ut grates memores agatis illi,
Qui vos aspicit et fovet benignus,
Cujus auspiciis satis secundis
Doctis priscus honos redit Camoenis.
Vos et gloria dein manebit ingens,
Omni quae maneat perennis aevo.

—

EQUITI BENEDICTO VULPES
MEDICO PRAESTANTISSIMO
IN REGIO NEAPOLITANO STUDIORUM GYMNASIO
CLINICES ANTECESSORI
QUOD
E PERICULOSO MORBO ASSIDUA ET PERDILIGENTI
MEDICORUM CURA
PRAETER OMNIUM OPINIONEM
CONVALUERIT
STEPHANUS VIGLIONIUS
PRO SUA IN TANTUM VIRUM OBSERVANTIA
PARVIS HENDECASYLLABIS SALUTEM

PHALEUCIUM XXI.

Hinc tristes procul, hinc abite, curae,
Questus et gemitus molestiores,
Abite, unde malum pedem tulistis.
Huc o vos potius, leves choreae,
Et ridens jocus, et sales decentes,
Et quicquid Charitum est venustiorum.
Cunctis digna coli magis, magisque
Fulget namque dies diu expetita:
Jam vita Benedictus enitescit
Divum munere protinus recepta.
Cives laetitiae advenaeque voces
Tollant mellifluas ad astra, laeto
Urbs plausu resonet latus per omne,
Quantum sollicito dolore nuper
Oppressa ingemuit satis, superque:

Digitized by Google

Heu dirum scelus! heu scelus nefandum!
Morborum domitor, decus medentum!
Mortis pernicies minacioris,
Qui tot imperio illius timendo
Viros obripuit, deditque semper
Vitam vivere dulciter fluentem,
Parum non cecidit peremptus ipse
Mortis a jaculo ferocioris.
Paene depositum suum parentem,
Suum praesidium, suum levamen
Puellae, pueri, senesque, et omnes
Morborum quot atrox caterva vexat,
Flere, plangere, condolere passim
Dites atque inopes nimis miselli:
Imo e pectore vota quot popellus
Egenûm Superis, precesque fudit!
Sed qui cuncta videt, regit, tuetur,
Piorum columen vices per atros
Fletus jam Deus audiit benignus.
Morbo convaluit procul fugato:
Belle habet Benedictus, enitetque
Vitae munere protinus recepto.
Jure mellifluas ad astra voces
Cives laetitiae, advenaeque tollant,
Urbs et laeta sonet latus per omne
Pro tanti capitis bona salute.
Vos quoque, Hendecasyllabi, decebit
Usque plaudere, et usque laetiores
Olli, qui toties suis medelis
Vestrae consuluit beatitati,
Quem Phoebus pater, et novem Sorores
Amant plus nitidis suis ocellis.

Ut estis pueri parum expoliti,
Soletis tamen omnibus placere
Forma, simplicitate, gratiisque.
Eja purpureos novate cultus,
Novas ludite gratius choreas,
Modis blandisonis, gradu expedito
Convenite domum illius frequentes,
Quae noctes patet et dies : salutis
Bonae millia verba comprecantes :
Olli, dicite, sit bene, ac beate,
Dum ver candidulis rosis renidet,
Dum veris comites tepent Favoni,
Dum polum volucres beant canorae,
Dum tellus vario decore ridet.

Digitized by Google

DIVO ALPHONSO DE LIGORIO

CUJUS

CUM GRAVISSIME AEGROTARET

PRAESENTISSIMAM EXPERTUS FUERAT OPEM

AD PRISTINAM RESTITUTUS SANITATEM

IN AEDE DEIPARAE VIRGINI DE MERCEDE DICATA

UBI MAGNO IN HONORE IDEM HABETUR PATRONUS

BENEDICTUS VULPES

HAEC VOTA LIBENS MERITASQUE PERSOLVIT GRATES

Infirmus jacui, et supremae claudere luci
  Lumina vicina morte videbar ego.
Accurrunt, magni quot habentur in urbe medentes,
  Et, qua me possunt, arte levare parant.
Omnia vana tamen cedunt medicamina primo,
  Imminet exitio mors violenta meo.
Ad te confugio, et supplex tua numina certo
  Corde, Alphonse, peto: tu rata vota facis.
Cuncta statim vertunt, morbi vis atra remittit,
  Irrita quae fuerat visa, medela juvat.
Jam vivo, et valeo, firmasque in corpore vires
  Sentio : sed vita est muneris ista tui.
Excipe nunc grates fide quas pectore solvo,
  Et meritis in me hoc insuper adde tuis.
Acceptam tibi quam refero da ducere vitam
  Innocuam, et memorem tempus in omne tui.

EQUITI BENEDICTO VULPES

MEDICO PRAESTANTISSIMO

E GRAVISSIMO MORBO

PRISTINAM SANITATEM ADEPTO

STEPHANUS VIGLIONIUS

GRATULABUNDUS

Successus hominum cum lumine spectet in iquo,
Bella ciet claris mors inimica viris.
Arte machaonia quod tu, Benedicte, salutem
Pluribus attuleris, te ruitura petit.
At medica virtute statim depulsa sub umbras
Cessit, consilii poenituitque sui.
Majus nam sensit gratantum e carmine vatum,
Plausibus e populi te retulisse decus.

Digitized by Google

TRIUMPHUS RELIGIONIS

ELEGIA

O tu, cui primum passis de more capillis
  Posse datum est gemitus concinuisse virum,
Huc precor adproperes, habitusque exuta dolentes
  Compta genas laetos solve, Elegeïa, modos.
Relligionis opus, victoque ex hoste triumphos
  Tartareo latos te celebrare juvet.
Namque haec vix terris coelo delapsa sereno
  Imperium late, qua patet orbis, habet;
Terrigenis haec pacem donat, vitamque beatam,
  Dum mala, dum curae, dum fera bella premunt:
Excutit haec tenebras, summi atque arcana Tonantis
  Dum pandit terris sidera summa ligat.
Ipsa per obstantes victrix sua signa catervas
  Explicat, hostiles nec timet usque minas.
Nam quondam viru caecoque errore replerat
  Vana superstitio solis utramque domum:
Undique surgebant pario de marmore templa
  Horrificis, gentes quos coluere, Diis.
Acta fugit vitio virtus, probrisque petita
  Sancta pudicitiae jura fidesque jacent.
Singula quid memorem? terris nox atra procellis
  Incubuit, cunctos devius error agit.
Relligio at properat: magnis concussa ruinis
  Strata solo extemplo fana Deique ruunt.

Digitized by Google

Relligio properat: damnantur dogmata falsa,
  Veraque virtuti forma decusque redit.
Quid referam illius partas longo ordine palmas?
  Vel quas natorum sanguine duxit opes?
Heu quot bacchantur saevi toto orbe tyranni,
  Qui jam Christicolis ultima fata parant!
Heu quot tortores cerno sine more furentes,
  Qui gaudent miris hos cruciare modis!
Haud fallor: tantos inter tunc caedis acervos
  Prodigium est, divam non cecidisse fidem.
Quam varia est mortis facies! o qua arte magistra
  Instrumenta necis vis malesana struit!
Accensosque rogos et ahena undantia flammis,
  Et duras aliqui sustinuere cruces.
Squalentes tenebras inter, dirasque catenas,
  Vitam alii dulcem deseruere suam.
Hic lapidum jactu diffractus lumina claudit,
  Ille autem gelidis praecipitatur aquis:
Porrectum huic jugulum strictus transverberat ensis,
  Hic praeda in rabidas cogitur ire feras.
Sed quae vox poterit tantas depromere caedes,
  Qui caesos unquam dinumerare queat?
At licet aspiciam spumantia littora longe
  Sanguine, quem stygius fudit in orbe furor;
Attamen obstantes devicit fortiter hostes
  Relligio exsurgens vulnere vividior.
Haud dubie: donec volventur saecula mundi,
  Inferni rabies vel nova bella geret.
At prius inverso procedent ordine cuncta,
  Et mundi moles haec operosa ruet,
Quam verbo subnixa Dei, subnixa columnis
  Relligio hostili victa furore cadat.

HIERONYMO DE ANDREA

EX DYNASTIS AREMANENSIUM

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

PONTIFICI MELITENENSIUM

GENERE ULTIMA AB ORIGINE ILLYRICO

STEPHANUS VIGLIONIUS

Quattuor haec hominum mentes vitia atra perurgent,
  Et modo collata vi, modo sola petunt.
Nempe sui vesanus amor, quo nostra probamus,
  Rejicimusque aliis visa probanda licet.
Nocte dieque premit census perblanda cupido,
  Quae varia incautos decipit arte viros :
Debita nunc vitae praetendit commoda, habendi
  Nunc opportunos praebet amica vias.
Vexat et imperii ambitio, decorisque voluptas,
  Cum finem, et certum transit iniqua modum.
Mille parit fraudes, mentem deturpat honore,
  Externam formam cum decorare parat.
Tristius illecebris urget malesana libido,
  Fortia cui cedunt pectora saepe virum;
Quem vero arripuit, flammis sic implicat atris,
  Ut cruciet totum conficiatque suis.
At quos invadunt miseros cum tristia perdant,
  Qui caret his vitiis quod feret ille decus ?

Digitized by Google

Gloria jure tuo debetur tanta parenti,
  Quam tenebris aetas nulla abolere potest;
Nam potiora suis aliorum sensa modestus
  Fovit, provexit, luce deditque frui.
Quem magis immoto spectantem lumine nummos
  Dignum laude bona saecla vetusta ferant.
Scilicet a claris proavis, gnavoque benignas
  A patre quas haeres ceperat unus opes,
Nil nomen praeter natis illustre reliquit,
  Moresque excultos artibus ingenuis:
Nec pretiosus erat victus, nec rara supellex,
  Et datus augendi rem sibi saepe locus.
Ambitio haud cepit, species neque splendida honorum:
  Quin sponte oblatos abnuit ipse diu.
Improba divortî ne jura probaret, ab urbe
  Cessit rure: annos delituitque decem.
Communis reparet census ut damna rogatus,
  Rebus opem mira dexteritate tulit:
At simul advertit sarctam non posse tueri
  Virtutem, munus nec sine labe geri,
Protinus abstinuit, totidem privatus et annos
  Otia Musarum dulcia persequitur.
Integer emicuit primo sic flore juventae,
  Suavis adhuc ipso ut corpore manet odor.
Alto qui penitus steterit sub pectore candor,
  Verba, et facta satis candidiora probant.
Scilicet evasit cunctis augustior, aris
  Insita et his species crescere visa sui.
At si tanta tuum decorat sapientia patrem,
  Non peritura illum plurima serta manent.
Jure tibi hinc plaudas, nemo te grandior usquam est,
  Cui dederint talem fata benigna patrem.

Digitized by Google

Praeclaris pater enituit sat honoribus auctus,
  Nulla sed inde sibi commoda, nulla suis:
Profuit at cunctis, hinc illum fama superstes
  Differet aeterna laude per ora virûm:
Omnes sed superat longe tua purpura honores,
  Quam modo virtutis praemia larga refers.
Nemo tamen stupuit, magis omnibus illa benignae
  Causa voluptatis, laetitiaeque fuit.
Mores namque boni, et vitae peperere pericla
  Improba, quae virtus sat tua passa diu est.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN OBSCAENOS LIBROS

Μελος α.

Αρα τις βλαβας κατειπη,
Βιβλοιας φερυσι αναιδεις,
Ο δυνησεται κατειπειν
Οσ επιστατται αριθμεῖν
Οσα δενδρεων τα φυλλα
Στεφανεφορων καθ' ωρην.
Οσα στρυθιων πετειται
Μαλακοισι τοις κλαδισκοις,
Τατε κυματων ρεεθρα
Ανεμοιο εκ θυηλλης
Δεδονημενης θαλασσης.
Τι αρ' υν εγω. προσαπτω
Ιδε πωσ ρεθιζε χρηνη
Αγλαη ρευσα πειθυσ,
Σε βλεπων ωρᾶς προσωπον
Μικρον, δε χερσι ριπτεις.
Οτω βιβλοις σχολαζων
Καθαμαις τα σπιλα ψυκης
Νιπε. Αυτιον τριβοντες
Βδελυρη βιβλον μεγιστον
Αριυσιν ενθε λοιμον.
Φρενα γαρ καθ' ην μανυνται
Τα παθη, εμαιναιθ' ωσπερ
Ο πιων το χευμα ταλλυ.

PARAFRASI

Chi v' ha, che dir potriami
All'uom quai rechin danni
I libri osceni, ed empii
Fabbri di neri inganni ?

Prima ei potrà degli alberi
Contar le frondi nuove,
Quando a stanziar col tauro
Febo il suo cocchio muove;

Quanti, dirà, discorrono
Augei su rami ombrosi,
O quanti flutti alternansi
Ne' torbidi marosi.

Ma che far io con tenui
Versi ? Se da' contrari
Del vero i pregi scorgonsi
Assai più belli e chiari ;

Dirò : ve' come un limpido
Fonte, che a sè n' invita
Le macchie in viso a tergere
Col suo chiaror t' addita,

Terso a quell' onda subito
Togli beltà maggiore,
All' alma tal arrecano
I libri buon candore.

Ma chi ne' libri abbattesi
Colmi di ria sozzura,
Ne torna l'alma ahi ! misero
Di strani vizii impura :

Chè tosto in lui s' intenebra
Della ragione il lume,
Come chi l'onda abbevera
Del Gallo immondo fiume.

—

IN

AMOENIORUM LITTERARUM LAUDEM

Μελος β.

Θελω λεγειν Αθηνας
Ουκ ολβιυς ζαπλυτυ,
Ουδ' ηερος, τοπωντε
Τῶν τρωφερῶν εραστας,
Η τυ κλεῦς Αρηος,
Και ποικιλων, καλωντε
Των κτισματων αγαστας.
Μαλλον δε μοι αρεσκει
Λεγειν, οτ' εξεχυσαι
Των γραμμα των υπηρξαν
Ελευθερων απαντων,
Και γλυκερυ λογοιο.
Εκεινα γαρ ολωλε,
Παιδευμενοις δε ταυτα
Παρ' ανδρασιν χρονιζε
Και νυν δοκεῖ μεγιστα.
Ταχεις τε μεχρι πινει
Τυς ποταμυς θαλασσα
Την Αττικυ γλυκιστην
Λογοιο εκπρεπειαν
Κερυττασιν καπαντες
Πειρωμενοι μιμειθαι.
Αλλα δοκῶ λαλιας
Παραμελειν νιν ηδη,
Αιψα με δει σιωπαν.

PARAFRASI

Vago desio m'inanima
Di sublimare all'etra
D'Atene l'alta gloria
Colla giocosa cetra.

Sulle cittadi elleniche
Ella menò tal vanto,
Che degna è pur d'eroico
Armonioso canto.

Fu vista ognora splendere
D'alma dovizia appieno:
Quanto di bello e amabile
V'ha, tutto chiuse in seno:

Superba d'ampii portici,
E di ben salde mura,
Clima giocondo e fertile
Le compartì natura.

Di Marte tra' pericoli
Intrepidi guerrieri
Vantò, che la difesero
Incontro agli stranieri.

Ma già tai pregi caddero,
Ed il natio splendore
Fu preda dell'indomito
Tempo divoratore.

Digitized by Google

Or vanti dalle Lettere
Gloria maggior, che cuna
Trovaro in lei, nè temono
Scherno della fortuna.

Quai gemme preziosissime
Si serbano da' dotti,
Che a coltivarle assidui
Lor sacran giorni e notti:

E finchè i fiumi affrettansi
Con vario corso al mare,
La leggiadria si pregia
Dell' attico parlare.

Perfetto, elegantissimo
Ognun lo loderà;
Ha d'erudito il titolo
Se alcun lo imiterà.

Ma qui convien che taccia
Lungo intrecciar sermone;
Dall' Atticismo vietasi
Che in breve dir s'espone.

Digitized by Google

IN DIVUM DOMINICUM

Il Demonio prende sembianza di uccello per distogliere le Religiose in Coro. S. Domenico scopertolo lo precipita giù spennacchiato.

Μελος γ.

Αν μοι λυρην Απολλων
Εδωκε παιγνιωδη,
Θελω τι μεν γελοιον
Λεγειν, οτω δε τιμαν
Γυσμανος ειχε πολλην.
Ταις παρθενοις απ' αυτυ
Ιερυμεναις Θεω γε
Οπας λοχον ποιηται
Αει Σαταν παυυργος,
Τφ' ορνιθος κεκρυπται
Καλοις πτεροισι λαμπρυ.
Κεινον Θεω λεγυσων
Την δοξαν, ευθυς αδειν,
Και αρκεται πελεσθαι
Ενθεν, και ενθεν αβρας
Αρης νοημ' απαξαν.
Γυσμανος αλλα οιδεν,
Πλασθων πτερων δ' ερηριον
Εραζε μιν βεβληκε
Πασιν γελοστον, αισχρον.
Ω τοσσακις κρατηθεν,
Συ μεταγινοσκε τεχνας,
Ηδ' εσυχαζε, και νον
Γυσμανιδυ τα δειδειν,
Ην εμαθες πριν αυτον.

Digitized by Google

PARAFRASI

La gioconda amabil lira,
Cha a temprar mi diede Apollo,
Un bell' estro in sen mi spira
Dolce canto ad intuonar.

Di Satan l' ingannatore
Vo' ridir giocosa prova,
Che disfatta d' all'onore
Il Gusman valse a fregiar.

Il malvagio ognora inteso
A turbare le bell' opre
Dell' Eroe, che sempre illeso
Dall' insidie sue tornò,

Il Virgineo stuol beato
Di Gusman pel saggio avviso
Nel ritiro a Dio sacrato
D' assalir si consigliò.

D' uccellino leggiadretto
Dalle piume colorite
Prende subito l' aspetto
Le sue trame per compir.

Mentre poi le Suore attente
All' usate preci sciolgono
Le lor labbra, e nella mente
Nutron caldi pii desir,

Digitized by Google

Per distorle con molt' arte
L' uccellin mentito vola
Cantillando , e in ogni parte
Di sè mette alto stupor.

Ma l'atterra, e lo spennacchia
Ad un cenno il buon Domenico,
Qual la stridola cornacchia
Spoglia fu del fals' onor.

Deh ! t' accheta: a' danni tuoi
Se tornar gl' inganni scorgi,
Tosto di' che nulla puoi
Contro eroïca virtù.

Or apprendi a rispettarne
L' opre ancora, come prima,
L'alto imperio paventarne
Con dolor forza ti fu.

Digitized by Google

HIERONYMO DE ANDREA
EX DYNASTIS TROIAE
PONTIFICI MELITENENSIUM
EQUITI TORQUATO
ORDINUM PLURIMORUM
IN PATRES S. R. E. CARDINALES
SUMMO OMNIUM ORDINUM PLAUSU
ADLECTO
IDIBUS MARTIIS ANNO MDCCCLII.
QUOD MAJORUM NOBILITATEM GLORIOSAM
INGENII ALTITUDINE VITAE INNOCENTIA
ANIMI CONSTANTIA MORUM FACILITATE
NON MODO SARTAM TECTAM CONSERVARIT
SED ET AUXERIT ET AMPLIARIT PLURIMUM
HANC IN OPTIMI PARENTIS
ET AETATIS SUAE ABSTINENTISSIMI
OBITUM
ELABORATAM LAUDUM COROLLAM
STEPHANUS VIGLIONIUS
D. D. D.
ANNO HUMANAE SALUTIS
MDCCCLIII.

I.

Mors tibi praeripuit magnas spes invida in uno:
Majores donat filius alter opes.
Sic est: alternis decurrunt omnia; certis
Pensantur vicibus singula versa suis.

II.

Ingenio tantum candorem junxerat almo,
Vinceret Henricus lilia ut ipsa tuus.
Haud mirere tener si flosculus occidit ille;
Ne tenebris tegeret nox vitiosa suis.

III.

In te fulsissent si centum insignia honoris,
Per te vel centum major inesset honos.
Non tribuunt, magnum capiunt sibi praemia honorem,
Quum referunt digni terque, quaterque viri.

IV.

Quid sibi vult istud? Rebus tibi tempus agendis
Defuit, unde aliis otia amica fluunt.
Non ita nempe alii tractanda negotia curant,
Tota animi ut penitus mente peracta tibi.

V.

Munera sustineat si quis ingrata, nec ulli
Displiceat, summa laude ferendus erit.
Ars tibi quod fuerit comes haec, testatur abunde
Quae modo fama tui nominis alta viget.

VI.

Dum tua facta canit nullum peritura per aevum
Det fama aeternos vivere posse dies.
Sed tibi, quos pietas decorat, sapientia, et artes
Ingenuae, a natis gloria major erit.

VII.

In te munificum dederat jam plurima coelum
Praeter fortunae munera, divitias.

Digitized by Google

At quae sponte tuo fertur nunc purpura nato,
Nec vivo, nec te divite posset emi.
Ergo si recipis nullo venale quod auro est,
Te largas et opes quis retulisse neget?

VIII.

Vitae displicuit probitas tua splendida multis,
Recti norma satis quae valet esse bonis.
Sed claro veluti in speculo contraria vitae
Facta suae intuitos inde pudere malos.
Oh dotes imitata tuas vel tarda nepotum
Offendat soboles moribus aucta probis.

IX.

Gens tua praeclaris semper fuit inclyta gestis,
Fortia et Andreae nomina jure tenet (a).
Ipse tuos imitaris avos sub flore juventae,
Temporibusque malis ausus es esse bonus.
Roma urbs obstupuit coeco jactata tumultu,
Fortiter usque gradum te tenuisse tuum.
Macte animo hinc heros; tibi quae modo contulit ostrum,
Det summi virtus pontificisque decus.

X.

Virtutes vitiis, falsis plerumque dolemus,
Vera infecta; sua nil sine labe micat.

(a) Adluditur ad gentis nobilissimae cognomen, quod a graeco verbo descendit. Inspicienda est etiam hac de re *Historia Illyriae* a Daniele Farlato conscripta.

Propositi usque tenax, veri rigidusque satelles
Integer, et purus totus at ipse nitos.
Et catus, et prudens fueras, patiensque laborum:
Et tibi nulla quies nocte dieque fuit.
Saepius his careant multi quum dotibus, ingens
Mole sua tempus sarcina ut alta gravat.

XI.

Intactam servare fidem, rectamque: potentes
Oppugnare viros; ferre et opem viduis:
Moribus innocuis, et frugi vivere semper:
Exemplo cunctis esse pudicitiae:
Cautis haerentem audaces contemnere sensus:
Et quae sint aliis visa probanda, sequi:
Artibus ingenuis mansuras ponere sedes (a):
Praesenti doctis numine adesse viris:
Communem sine vi censum ditare; tueri
Sancta sacerdotî foedera, et imperii:
Mobilis arbitrium fortunae spernere, et aequa
Illius adversas mente subire vices;
Haec tua vita fuit: nunc vivit fama superstes,
O vir qui signas nomine saecla tuo.
Deficis, Hesperiis ceu sol cum mergitur undis,
Haud sibi deficiens, deficit ast aliis.

XII.

Index virtutis censenda modestia semper:
Cui major virtus est, tumet ille minus.

(a) Si allude alla biblioteca fondata dal Marchese d'Andrea nel suo Ministero delle Finanze.

Et comes, blandique modi, moresque benigni
  Antiquae indicium nobilitatis erunt.
Ad summos primus quicumque effertur honores,
  Rusticus, et duris moribus esse solet.
Te comem sensere omnes, sensere modestum,
  Annis crescentem, muneribusque magis.
Immemor ipse tui, meritis et honoribus ingens
  Quoslibet excipere es visus honore pari.
Jure igitur vitae, morumque exemplar habebunt
  Sanguine vel claro quotquot honore valent.

XIII.

En qui frugiferae traduxit tempora vitae,
  Frondibus, et pomis ridet ut arbor agris.

XIV.

En qui de recti deflexit tramite nunquam,
  Imprudens nunquam lapsus et ore fuit.

XV.

Aulicus en fidus, quem nulla superbia in aula;
  Quem tenuit nullus, cessit ut inde, dolor.

XVI.

En mirum virtutis opus : permixta benignis
  Moribus invicti est aurea vis animi.

Digitized by Google

XVII.

Relligionis honos per to si floruit olim,
Morte cares: nunquam scilicet illa cadet.

XVIII.

Morum quanta tibi lenitas, clarissime virûm,
Cedere tanta fuit nescia vis animi.

Digitized by Google

SUB IMAGINIBUS
UNO IN ORBE COMPREHENSIS
HIERONYMI DE ANDREA
PRESBYTERI CARDINALIS S. R. E.
TITULO HAGNE EXTRA POMERIUM
PONTIFICIS SUBLACENSIS
PATRONI SODALITATUM
TUM SICULORUM ROMAE CONSISTENTIUM
SUB TITULO MARIAE D. N. CONSTANTINOPOLITANAE
TUM EQUITUM PANORMITANORUM
SUB TITULO MARIAE D. N. CONSOLATRICIS
ET EQUITUM AQUILANORUM
ET EQUITUM AMALPHITANORUM
SUB UNO EODEMQUE TITULO
MARIAE D. N. PERDOLENTIS
ET FRATRUM KARMELITARUM
CIVITATIS CALATAHIERONENSIS
PLURIUM ACHADEMIARUM SOCII
ET MARCHIONIS JOANNIS DE ANDREA
EQUITIS PRIORIS ORDINIS HIEROSOLYMITANI
EQUITIS SENATORIS ORDINIS CONSTANTINIANI
INTIMI CUBICULARII MAGNI ETRURIAE DUCIS
SUMMI PRAEFECTI AERARIO
APUD NEAPOLITANOS SICULOSQUE
NEGOTIISQUE RELIGIOSIS PRAEPOSITI
PATRONI CONLEGII
ARCADUM CALATAHIERONENSIUM
EQUITIS A MAGNO NUMISMATE AUREO
FRANCISCI IV. MUTINAE DUCIS

Haec nati quicumque vides, atque ora parentis,
Dic uter alterius lumine praeniteat?
Gratia tanta subest, et copia lucis utroque,
Ut lis judicio pendeat ancipiti.

Digitized by Google

SUB IMAGINE

JOANNIS DE ANDREA

EX DYNASTIS TROIANORUM

IN ORDINE HIEROSOLYMITANO

EQUITIS TORQUATI ET PRIORIS

ETRUSCOS INTER AULICOS

CLAVIS AUREAE CUBICULARII

AERARII NEAPOLITAN. ET SICILIENS.

PRAEFECTI PRINCIPIS

COLONIAE ARCADUM

APUD

CALATAHIERONENSES

SODALIS ERUDITISSIMI

PATRONI SPLENDIDISSIMI

OPTIMI PARENTIS

HIERONYMI DE ANDREA

PRAESBYTERI CARDINALIS S. E. R.

PONTIFICIS MELITENENSIUM

PRAEFECTI SACRI CONCILII

LIBRORUM NOTANDORUM

ECCLESIAE TROIANAE EJUSQUE INSIGNIS CAPITULI

PATRONI PERPETUI APUD SANCTAM SEDEM

Humana pingi specie sapientia, pingi
Si posset virtus, pingeret ista satis.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA

—

I.

IN NATIVITATEM DOMINI

Inspice, mortalis, latum scrutare per orbem
  Dignius obtutu quidquid ubique nitet:
Legibus apta suis fulgentia sidera coelo,
  Quasque humus immensas laeta ministrat opes;
Aereos montes, imis in vallibus antra,
  Cumque mari e vario flumina ducta sinu :
Magnus in orbe Deus, gelidis at natus in oris,
  Exiguo latitans corpore major erit.

II.

IN ILLUD ISAIAE

Et erit in die illa Dominus unus

TETRASTICHON

Fama est, Augustum Domini renuisse superbum
  Nomen, cum puer est natus in orbe Deus.
Nescius hoc ille haud superum sine numine, ubique
  Unus nam Dominus qui modo regnet, adest.

Lo stesso

CANZONETTA

D'alto Signore il titolo
Augusto ricusò,
Quando sott'antro gelido
Iddio fatt'uom posò.

Al Ciel, che tutto modera
Con suo voler sovran,
Serve, benchè no 'l sappia,
Il Principe Roman.

Ch' allora apparve l'unico
Supremo regnator,
A cui doveva cedere
Del mondo ogni Signor.

III.

Rupe sub informi lecti communis egenus
Dum fera saevit hyems, dum nive cuncta rigent,
Editur in lucem, rerum cui summa potestas;
Nec sibi lenimen, nec sibi vestis adest?
Nil mirum: ipse puer tanto calet igne medullas,
Ut libeat penitus frigora saeva pati.

Digitized by Google

Lo stesso

ANACREONTICA

Quando di neve in copia
Albeggia il piano e 'l monte,
E gela il verno rigido
L'onde nel sen del fonte,

Nasce Bambino, e povero
Di tetro speco in fondo,
In vili cenci avvolgesi
L' alto signor del mondo.

Chi la natura provvido
Veste, d'acuto gelo
Sentir le punte ahi misero
Sotto nevoso cielo?

Stupor non fia: chè attemprasi
Con fresco umor la fiamma,
Se impetuosa e rapida
Oltre l'usato infiamma.

Arde d'amor sì fervido
Ver l'uomo il nato Dio,
Che più bramato tornigli
L'inverno crudo e rio.

IV.

Dum Bethlehem nasceretur Jesus intempestae noctis tenebras vel repente in Hispaniis exhortis dispulit.

Jam nox atra polo, terrisque induxerat umbras,
Cum Bethlehem jacuit natus in orbe Deus,

Digitized by Google

Et mirum ! occiduas Phoebum radiare per auras
Fertur, ceu medium cum tenet axe diem.
Scilicet aethereus dum Sol sua lumina promit,
Mundi nulla potest lucis egere plaga.

Lo stesso

MADRIGALE

Già sparso avea la notte il denso velo
Sul mondo intero, e 'l fiore
Languia da brina oppresso in sullo stelo,
Quando spuntar si vide in Oriente
L'almo del Ciel splendore
Da Vergin madre, e tosto in Occidente
Disgombra il Sol l'alto notturno orrore.
E tal riluce intorno
Quale talvolta suol di grazie ricco
Nel più ridente giorno.
Non istupir : sulla terrena mole
Poichè comparve di giustizia il Sole,
Ei sfavillante luce
L'antiche ombre a fugar in ogni loco
Infra le genti adduce.

V.

TETRASTICHON

Quid sibi vult istud ? si diceris ignis adurens,
Frigore qui saevo nunc, puer alme, riges ?
Scilicet e rigidis prunas legis ipse pruinis,
Quo mage membra algent, hoc magis ardet amor.

Lo stesso

ANACREONTICA

1.

Qual mai portento strano
Or veggio? il corpo umano
Assunto, e il Nume eterno
Langue dal crudo inverno.

2.

Se di possente ardore
Fuoco divoratore
Egli è, come la trista
Bruma sì lo contrista?

3.

L' intendo: il nato Dio
Coglie dal freddo rio
Fiamme di nuova tempra,
Onde ogni gel si stempra.

4.

Quanto l'amor più pena,
Tanto maggiore lena
Ritoglie, e dal tormento
Riceve nutrimento.

VI.

Maximus *intra* se Deus est, et finibus expers,
Nec quonam ulterius crescere possit, habet;

Digitized by Google

Major an *extra* se tam magnum ubi condidit orbem
Esse queat dudum lis agitata fuit.
Ista Sophi videant, fractus mihi quippe puellus
Exiguoque latens corpore, major erit.

VII.

IN EPIPHANIAM DOMINI SERVATORIS

Mirrham, thus, aurum, stellae duce lumine reges
Munera tres nato grata tulere Deo:
Laetior ipse tamen lacrymatam cortice mirrham
Excipit, et gremio stringit utraque manu:
Nimirum pergrata sibi, quo fata subibit,
Lethiferi haec montis culmina celsa notat.

Lo stesso

ANACREONTICA

Vesti la spoglia fragile
Di Bettelemme in seno
Il figlio della Vergine
Sul vil pungente fieno.

E d'una stella lucida
Al luminoso raggio
Tre re con doni vennero
A tributargli omaggio.

Il tutto ei sprezza, ed ilare
Sul vil pungente fieno
Qual dono più gradevole
Stringe la mirra al seno.

Digitized by Google

È questa che rammentagli
Il monte del dolore
Ove sua vita a chiudere
Un dì l' invita amore.

VIII.

DISTICHON

Lactis eget, tenuisque jacet, cui cuncta ministrant:
Sic nos divinus fortius urget amor.

Lo stesso

ARIETTA

Di latte è famelico,
Si giace bambino
Quel Nume, cui venera
La terra ed il Ciel;
A fine d'accenderci
Del foco divino
S'abbassa, soggettasi
A fame ed a giel.

IX.

IN DIVUM JOSEPHUM

TETRASTICHON

(Joseph, hebraice *augumentum*)

Hoc audis, Joseph aliis dum, Dive, negato
Coelicolum fulgor auctus honore pari;

Digitized by Google

Namque alios post fata manent quae gaudia Coelo
Illa tibi in terris Christus habere dedit.

X.

IN NATIVITATEM DOMINI SERVATORIS

DISTICHON

Te flentem doleant alii, te ego gaudeo flentem;
Nam fletu flammas, tu mihi, Pupe, creas.

Lo stesso

MADRIGALE

Vago fanciullo Dio,
Che su rigido fieno
Ti stempri in vago rio
Di lagrime, e ten bagni il molle seno,
Il pianger tuo dolente
Fia pur all'altrui cor strale pungente:
A me sol desta in petto
Il pianto tuo sì spesso
Insolito diletto,
Chè dall'amore istesso,
Onde distilli tu per gli occhi il core,
Traggo io scintille di celeste ardore.

Digitized by Google

XI.

IN EAMDEM NATIVITATEM

In illa D. Gregorii verba

Deus invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris

EPIGRAMMA

Pulcrius illustrat, cum Sol est altior, orbem,
  Atque oculorum aciem fortius inde ferit.
At simul objecta, veluti velamine, nube
  Ille latet, cunctis suspiciendus adest.
Lucis inaccessae radiis sic condita visu
  Abstulit humano quae prius ora Deus,
Corporis exigua est, latuit sub imagine nostri,
  Laetis illa oculis cuique fruenda patent.

Lo stesso

SONETTO

Quando nel pien meriggio il Sol risplende,
  Tal vibra intorno chiara luce e viva,
  Che mentre il tutto vagamente avviva,
  Il guardo ammiratore abbaglia e offende.

Ma, se a rincontro sottil vel vi stende
Vapor levato dall'ondosa riva,
Tolto il fulgore a' raggi, non più schiva
Uom la pupilla a vagheggiarlo intende.
Tal di giustizia il Sole a guardo umano
Suo bel viso celando, in un profondo
Abisso involto di splendor sovrano.
Ma, poichè d'uman corpo il ricoprio
Velo gentile, e d'ogni macchia mondo,
Al pria cieco mortal si discoprio.

XII.

CANZONETTA

Se di Prence augusto il nome
Vanti tu da Battro a Tile,
Dimmi, pargolo gentile,
Ove sono
Il dovuto scettro e trono?
Qual t'adorna l'auree chiome
Diadema? quali schiere,
Le nemiche forze dome,
Veglian fide al tuo potere?
Ov'è la regia magione,
Che di gemme pellegrine
Le più scelte, le più fine
Splende a gara
Co' lavori d'arte rara?

Ove gli ostri? ah! mal s'appone
Il mio canto: in fasce stretto,
Mentre infuria la stagione
Giaci in sen d'oscuro tetto.
Un presepe rozzo seggio
Col pungente fien t'appresta:
A mirarla sì molesta
Fa pietade
La tua somma povertade.
Fanno intorno a te corteggio
Vili bruti, che col fiato
Ti ristorano. Ah! che peggio
Non s'ha nulla del tuo stato.
Non più: intendo: un altro impero
Tu mi vanti, tu m'additi
A quel pianto, a quei vagiti,
Che il dolore
Spreme, e pegno son d'amore.
Sì d'amor con vanto altero
Puoi nomarti Rege eterno,
Sebben troppo in Te severo
Spieghi quello il suo governo.
Son d'amore i tuoi sospiri
Forti dardi; di sue mani
Son bell'opre gl' inumani
Trattamenti,
Che bambino ancor tu senti.
Ma, se tant'aspri martiri
Ti costò d'amore il regno,
Fa che a questo ogni alma aspiri,
Scosso il prisco giogo indegno.

XIII.

In illa Isaiae verba

Concipiet Virgo Deum.

Quae nova fama olim cecinit portenta per orbem
  Jam sileat, cantus poeniteatque sui;
Nec Babylonis opus, structasque ad sidera moles,
  Nec Rodio jactet signa dicata Deo;
Pondere nec vacuas aequo librata per auras
  Mausulea stupens tollere ad astra velit.
Haec potius referat, quod Virgo concipit alvo,
  Quodque homines inter jam Deus adstat homo.

Lo stesso,

SONETTO.

Cessi la fama con sua tromba altera
  Opre men degne celebrar faconda,
  Nè fin dove il Sol guarda, e il mar inonda
  I prischi mostri più narri ciarliera.
La colossale a lui, che in Delo impera,
  Sacra statua in obblio per fine asconda,
  Della reggia di Ciro e dell' immonda
  Babilonia pur anco il nome pera.
Di Mausolo la tomba un dì stupore
  Del mondo tutto nemmen più si vanti
  Ch' eresse un raro dopo morte amore.

Una Vergin, ch'è madre al suo Signore,
E tra' mortali un Dio piuttosto canti,
Opra stupenda assai del gran Fattore.

XIV.

In effatum illud Philosophi:

Amicitia pares aut invenit, aut facit.

Sidera motantem nostra sub lege teneri
Non pudet, et gelida rupe jacere, Deum?
Ne mirere: pares, ea stat sententia cunctis,
Almus amor, quos non invenit, ipse facit.

Lo stesso

MADRIGALE

Chi degli astri, del mondo il corso regge,
E con sovrana legge
Il tutto muove a suo voler dal Cielo,
Come or d'acuto gelo
Sente le punte, e fatto ancor mortale
Veste l'umanità caduca e frale?
Non istupir: l'amore
Dell'almo alto Signore
Due pari oggetti sempre a stringer prende,
E se pari non son pari ei li rende.

Digitized by Google

XV.

In illa Isaiae verba :

Vetus error abiit.

Quid ? riget acris hyems, terrae nox incubat atra,
  Cum Deus humanae limina lucis init.
Non erat autumni , vel veris gratior annus,
  Mitius aut medio cum calet axe dies ?
Scilicet errorum tenebras , qui nascitur infans ,
  Diraque pectoribus frigora abire jubet !

Lo stesso

ANACREONTICA

Mentre di dense tenebre ,
  E di nebbioso velo
  Cinta è la terra , e 'l rigido
  Verno d'acuto gelo,
Dell' uom la spoglia fragile
  Or veste su vil fieno
  Chi sparge fiori e grazie
  Di primavera in seno.
Perchè spuntar non videsi
  Nella stagion di Flora
  Quando più bello ed ilare
  Il volto Febo indora ?

O nell'autunno prodigo
Di nuovi doni, o il sole
Quando già splende placido
Sulla terrena mole?
Ah! sì l'intendo: l'orrido
Dell'uomo cieco errore
A disgombrare affrettasi
Il nato Redentore.
Per lui di foco vivido
Avvamperanno i petti
Duri qual selce, ed aridi
Di nere colpe infetti.

XVI.

In illa Scripturae verba:

Qui pascitur inter lilia.

Quis satis hoc credat triplex quem machina mundi
Non capit, et flexo poplite cuncta colunt,
Non habet in terris, quo nunc requiescat? adire
Cogitur et vilis parvula tecta casae?
Scilicet ut posset cana inter lilia pasci,
Arva petit temnens tecta superba virum.

XVII.

ANACREONTICA RÈCITATA DA UN FANCIULLO

Di madre Vergine
Figlio, almo Dio,
Qual don gradevole
Farti poss' io?
Del gregge immemori
Veggo pastori,
Ch' appiè ti recano
Campestri onori.
A te tributano
Magi scettrati
Dell' oro fulgido
Doni pregiati
Con inni e cantici
Dall' alte sfere
A te n' affrettano
Festanti schiere.
Ma, se più tornano
Tra fanciulletti
Dolci e sensibili
I mutui affetti,
Deh! qual desideri,
Fanciul vezzoso,
Da chi somigliati
Dono amoroso?

Digitized by Google

L' intendo : pungeti
Con duro strale
Le membra tenere
Stagion nivale.
A scior valevole
L' aspro rigore
Le bianche aggiungoti
Nevi del core.

Idem latine.

Mox nato puero dant aurea munera reges,
Rustica pastores , sidera dulce melos.
At quid ego , pueros inter si dulcior usque
Ridet amor , puero quid puer ipse feram?
Cum nive membra sibi doleant, queis illa tepescant
Ingenuas casti pectoris addo nives.

XVIII.

Expletis de Messiae adventu Vaticiniis ad Hebraeos.

Certa , olim Daniel quae dixit, tempora iere,
Errat et a terris exul Iuda suis :
Persa , Medus , Syrius , fasces cecidere superbi,
Pacatumque orbem , qua patet , unus habet.
Cuncta peracta vides: quid adhuc, Hebreae, resistes ?
Jam cole Supremi sceptra verenda ducis.
Hactenus exspectas? haec te spes decipit, immo
Semper ut exspectes, debita poena tibi est.

Lo stesso

SONETTO

Le mistiche Semmane già finiro,
Erra disperso d' Israel lo stuolo,
Cadde il Persa, e 'l Medo, e 'l superbo Assiro,
E l' Aquila Romana ha perso il volo.

Quanti corron dell' orbe pel gran giro
Piegaro umil la fronte ad un uom solo,
All' uom, ch'è Nume ancor, solo s' udiro
Inni echeggiar dall' uno all' altro polo.

Dunque t'arrendi al Ver, protervo Ebreo,
Dell'aspettar compissi la lunga ora,
Recò la Vergin terra il fior gesseo:

Surse il gran Re, cui tutto il mondo adora:
Che se tu più l' aspetti, infido e reo,
Fia tuo gastigo l'aspettarlo ancora.

XIX.

TETRASTICHON

Tres reges nato Regi tria munera reddunt,
Munera, quae nato grata fuere Deo.
Pectora donorum sunt maxima: pectora Pastor
Donat, et hoc unum plus reor esse tribus.

Lo stesso

MADRIGALE.

Tre re, tre doni al nato Rege offriro,
Doni, che riuscîr giocondi e cari.
Ma qual dono sarà di un core al pari?
A Gesù questo dona il mio pastore,
E sarà dono di quei tre maggiore.

XX.

Idem argumentum.

Vix te, nate Deo, foeno nunc cerno jacentem,
Ex oculis lacrymae fluminis instar eunt.
Frigore membra rigent gelido dejecta sub antro,
Non tibi lenimen, non tibi vestis adest.
Si paro fasciolas, pannos si praebeo, spernis,
Quippe humilis, nasci pauper, inopsque cupis.
Scilicet hoc faciam: calidos dabo pectoris ignes,
Queis foveam nimio membra perusta gelu.

XXI.

Idem Argumentum.

Επιγραμμα

Θαυματα δι κοσμυ τινα νυν δερκονται απαντος;
Τυ φοιβυ στιλβει την δια νυκτα σελος.
Αυτοματως παρεχει γη καρπυς, ηδεα δωρα,
Εκ κρηνων αφνω κευμα ρεειπε νεων:

Εκ κρινυ σαζει μελι, ευπορυσι γαλακτος
Και ποταμοι, χειμων ως εαρ εσι νεον.
Ταυτα τι σημαινει; κατα σαρκα νυν γεγενηται
Αρθρωπων παντων φωστε, βιοστε Θεος.
Αλλα το θαυμαυτον. χαιρει γαρ γητε, πολοστε
Ανδρωπος δ' ηδεν σημα διδωσι χαρας.

Item latine.

Quae nova nunc totum cerno miracla per orbem?
Nocte micat media Solis ab axe jubar:
Munera suppeditat per se sine semine tellus,
Sponte sua e saxis dissilit unda cavis:
Flumina lacte fluunt, stillantque ex ilice mella,
Perque hyemem passim tempora veris eunt.
Quid sibi vult istud? summo delapsa Olympo est
Humani generis vita, salusque, Deus.
Sed mirum! exultant et terra, et sidera: vitae
Auctori obsequium denegat unus homo.

XXIII.

IN ASCENSIONEM DOMINI

Siccine praefulgens nubes mortalibus aegris
Gaudia deproperas surripuisse cito?
Si procul abscedet Christus, quot caeca pericla,
Quis furor hostilis pectora nostra manet?
Ast quonam rapior, quae me dementia cepit?
Non adimit nobis gaudia, plura feret.

XXIV.

IN LAUDEM NOMINIS JESU.

Qui caecas inter tenebras, vitaeque labores
Volveris, hinc illinc quem mala saeva premunt;
Ne nimium trepides, Jesum resonare memento,
Et menti affulget lux, medicina malis.
Namque datum Aligero, hebraeum si consulis hortum,
Noc nomen causas mille salutis habet.

XXV.

FESTO CORPORIS CHRISTI RECURRENTE.

Inspice, mortalis, terram, latum inspice coelum,
Pulchrius et visu quicquid utroque nitet:
Hinc Sol, hinc Phoebe certa vice volvitur, hinc et
Ordine fixa manent sidera quaeque suo:
Hinc fluit et refluit jussa mare lege, nec unquam
Effluit, hec raptim flumina cuncta petunt:
Hinc vario tellus decorata colore, satisque,
Quae sparsim curvo versa ligone refert.
Haec miranda quidem: magis ast immobilis haeres,
Cum modico hoc panis quid latet orbe, vides,
Qui dedit illa, Deus datur hic et totus, et idem,
Poplite quem flexo terra, polusque colit.

Digitized by Google

XXVI.

In Latus Christi Sotheris lancea percussum.

Ecquid adhuc moliris, amor? quem barbare tandem
Vulneribus pones, saevitiaeque modum?
En cruce dependet clavis confixus Iesus,
Et tamen intorques tu nova tela ferox!
Ast age: namque meo, Christi latus ipse recludens,
Erepto cordi nida reposta paras.

XXVII.

IN DIVINAM ANASTASIN

In duplicem mortem, et resurrectionem, de qua loquitur Joannes.

Vera Deus vita est, ut culpa abscessit ab illo,
Mortuus, et duplici morte peremptus homo est.
Peccatum mors prima fuit, quo gens ruit omnis,
Altera mors, stygiis poena luenda focis.
Si duce tu Christo prima de morte resurgis,
Altera mors, tibi nil, quo timeatur, habet.
Quippe sequens illum victor super astra volabis,
Vita ubi te, dempto fine, fruenda manet.

XXVIII.

Idem Argumentum.

Dum Christus prodit tumulo redivivus ab imo
Praeclaro late lumine cuncta replet;

Custodumque oculis nimio fulgore tenebrae
Sunt ortae; atque acies obruta torpet hebes.
Cernere, Judei, dum tanta luce refulget,
Nescitis, coecos nonne vocare queam?

XXIX.

Idem Argumentum.

In illa Christi verba

Regnum meum non est de hoc mundo.

Regia cum duris mors sceptra ligonibus aequat,
Et tumulo pereunt inclyta facta virum,
Purpureas vestes parva mors condit in urna,
Et fastum regum et quidquid honoris habent.
Interit in tumulo magnorum gloria regum,
At tumulo exoritur gloria, Christe, tua.
Sentio: magna tibi certe sunt debita regna,
Non regna at mundo, sed super astra tenes.

XXX.

IN PATROCINIUM B. M. V.

Hostilis si turba movet crudelia bella,
Virginis auxilium supplice voce roga;
Obscuris tenebris tibi si praecluditur aether,
Rursus opem illius, praesidiumque voca.
Illi nam virtus stygias prosternere turmas,
Et facilem nobis pandere ad astra viam.

Haud dubites: summi genitrix haec cara Tonantis,
Haec est turbati lucida stella maris.

XXXI.

Ad B. Virginem Mariam Casalucensem, quae Aversae magno colitur honore, praeces, ut continuam pluviam arceat.

Saepius obscuris operitur nubibus aer,
Et Poeboea oculis lumina clara tegit:
Saepius et densi funduntur ab aethere nimbi,
Et tellus crebris usque redundat aquis.
Aspice nos, Virgo, lucis cui nomen inhaeret,
Protinus et nubes luce micante fuges.

XXXII.

IN NATIVITATEM VIRGINIS.

Quo tibi vere queam cunas insternere, Virgo,
Dum vitam mundo vita futura subis?
Jam miserum periit Florae pulcherrimus annus,
Palluit et roseis Solis ab igne rubor.
At queror incassum: tecum dum nasceris ipsa,
Candentesque rosas, lilia et alba geris.

XXXIII.

IN EJUSDEM ASSUPTIONEM

Aligerum stipata choris, plaudentibus astris,
Hinc procul a nobis quomodo pergis iter?

Quid nos, queis instat stygii gravis ira tyranni?
Te sine quisne illo victor abire valet?
Siste igitur: natorum tu pia respice casus,
Alto nec nostri corda dolore graves:
At fallor, redimita poli regina, nitore,
Terret et imperio fortius illa stygem.

XXXIV.

FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. RECURRENTE

TETRASTICHON

Quid tibi causa viae, matrum purissima Mater?
Nil tibi cum lege est, nil pueroque tuo.
Sic est: qua natos cum conjuge perdidit Adam,
Illac ut repares tuque puerque tuus.

XXXV.

Cum Nestorius vivens B. V. M. Θεοτοκον audacter negaret, morientis lingua vermibus corrosa justas suae audaciae poenas solvit.

Nestorius Mariam dictis, dum vita manebat,
Impetit, et matrem Numinis esse negat.
Haud tulit hoc Virgo, fato dumque oppetit ille,
Putidior tabes vermis et ore fluit.
Quam bene, dum Sapiens morum praecepta recludit,
Queis peccat, poenas solvere quemque docet.

XXXVI.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS RECURRENTE.

Templa subit Solymae sublimibus alta columnis
Virgo puerperii jura datura sui.
Non haec nummorum pretium, non obtulit agnum,
Sed quae, terrena labe, columba, caret.
Quam bene, quae puerum concepit criminis expers
Primaevi, puram ferre decebat avem.

XXXVII.

IN B. M. VIRGINIS ASSUMPTIONEM]

Επιγραμμα

Τῶν πρωτων μεν ατασθαλιη γονεων κακα δοια
Ηνοκε, την ψυχαν, σομα δε φθησεν ομω.
Αλλ ἀγνη κοινης της λυμης επλε Μαρια
Εσσομενη μητηρ τυγαρ εοιο Θεω.
Ουν αρα τη ποινη μηδεν νυ αυτη οφελλεν,
Ουρανον, ως ψυχην, σοματι εοικεν εχειν.

Idem latine.

Quae mentem infecit labes primaeva parentum,
Corporis caecae tabis origo fuit.
Integra at emicuit veteri sine labe Maria,
Aptior ut summi Numinis aula foret:

Nil igitur labi, nil debuit ipsa sepulchro,
Sidera habent mentem, corpus habere decet.

XXXVIII.

In illud Apostoli

Obsorpta est mors in victoria.

IN DIVINAM ANASTASIM.

Quid tegat humana Jesus sub imagine sancti
Inscia mors sacrum ceu sibi adorta caput
Totque gravi e pharetra lethalia spicula mittit,
Concidat imperio victus ut ille cito.
At vix laeta lares repetit, plauditque triumpho,
In sua cum praedam cedere damma videt.
Namque inde exoriens aliis quoque vivere Jesus
Dat, victae et mortis tristia jura ruit.

XXXIX.

IN DIVUM FRANCISCUM SALESIUM

Omnia Sol lustrat, summo cum ridet Olympo,
Et noctis tenebras, dum micat ille, fugat.
Vix Franciscus adest Genevae pastor in oris,
Errorum tenebras protinus inde fugat.
Hinc illi meriti tantum debetur honoris,
Astrorum quantum redditur orbe duci.

Digitized by Google

XL.

IN D. STEPHANUM PROTOMARTYREM

DISTICHON

Quam bene, dive, tuis respondent nomina factis!
Nam tibi vis animi serta decora dedit.

XLI.

IN D. ANTONIUM.

Ut fida audivit Christi praecepta jubentis
Tradere pauperibus, quae bona quisquis habet,
Haud mora vendit opes patrias Antonius omnes
Lustra petens hominis vix adeunda pede.
Sic est, pro Christo sua qui bona liquerit, ipsi
Quam meliora parat Christus in axe bona.

XLII.

IN D. CAROLUM BORROMAEUM

BALLISTA IGNEA PERCUSSUM.

Quo, scelerate, ruis, cinctus lethalibus armis?
Quid saeva intorques fulmina dira manu?
Insubrum lumen censes auferre, decusque,
Votis oh quantum falleris ipse tuis!

Digitized by Google

Namque tuos ignes divus ferventior ignis
Extinguit, casto quem fovet ipse sinu.

XLIII.

IN DIVUM JOSEPHUM.

Insignes pietate viri tunc gaudia pleno
Ore bibunt, cum illos excipit aethra sinu ;
Palmamque emeritos post mortem consecrat astris,
Innectens capiti fulgida serta Deus.
Tu vivens superos aequas, tibi quippe Tonantis
Ore frui in terris, quod beat omne, datur.

XLIV.

IN DIVUM JANUARIUM.

Poeta Tortorem alloquitur.

Dire, quid insana jactatus perfuris ira ?
Quid saeva intorques spicula dira manu ?
Parce tuas scelerare manus, ne forte pudori
Sit tibi deposita vel feritate leo.
Ingenio hic ferus est, hominis tibi nomen inhaeret,
Et tamen officium te docet ille tuum.

XLV.

IN DIVAM PULCHERIAM.

Nobilis enituit claro de sanguine creta
Elia, et a priscis fama refulsit avis;

Ast illam pietas mage pulchram reddidit, atque
Ad summum evexit Relligionis amor.

XLVI.

IN DIVUM LEONEM PONTIFICEM.

Sat ferro, flammisque datum, jam vertere gressus
Attila, te Magnus nunc jubet ore Leo.
Mos est ille lupis viso dare terga Leoni,
Tu Lupus, ille Leo est, imperet ille tibi.

XLVII.

IN DIVUM EUSTACHIUM.

Claruit Eustachius virtute insignis, et armis,
Dum toties victo victor ab hoste redit.
Clarior enituit, Christi dum signa secutus
Tortoris rabiem jam saperasse datum est.

XLVIII.

IN LAUDEM D. THOMAE AQUINATIS.

Impuris pectus circumdata foemina flammis
Aggreditur Thomam, dum vacat ille Deo.
Blanditiis juvenis sed cedere nescius, illam
Torre fugat, quem sors praebet amica sibi.
Desine tartareas Satan jactare favillas,
Namque alio est ignis victus ab igne tuus.

XLX.

Festo omnium Sanctorum recurrente,
Incitatio ad ineundam contra cupiditates pugnam.

En queis illecebras saecli fuit una voluptas
  Spernere, quique stygis bella ciere duci;
Nescia fine bibunt redimiti tempora lauris
  Gaudia, et aeternum pax, requiesque manet.
Praelia ne fugias, tibi queis sors tanta paratur:
  Pugnae namque sequax usque corona fuit.

L.

Divi Michaelis Archangeli festo recurrente.

Deceptus forma toto dominarier orbe,
  Seque parem certat Lucifer esse Deo.
Haud patitur Michael: scelus indignatus ab axe
  Aetereo, extemplo nigra sub antra fugat.
Inde loco solii tetrae subiere cavernae,
  In tenebras cito lux et decor omnis abit.
Quam dedit ipse Deus, contentus vivito sorte,
  In praeceps ibis, dum nimis alta petis.

LI.

IN DIVUM ANDREAM APOSTOLUM.

Quam bene, dive senex, positis cito retibus, unum
  Quem vivens fido corde secutus eras,

Digitized by Google

Nunc fratrum sequeris coetu fidissimus omni,
Dum moreris durae fixus, ut ille, cruci:
Olli tincta chlamis nativo internitet ostro,
Et tibi laena tuo murice tincta rubet:
E cruce, ceu cathedra docuit bonus ille Magister,
Adstantem populum non minus ipse doces.
Marte animo hinc heros: propior cui poena revinxit
Terris, te jungant praemia digna polo.

LII.

In illud proverbiorum

Vade ad formicam o piger, et disce sapientiam.

IN SAEMINARIORUM INSTITUTIONEM

Quaerit opes aestate nova formica, latetque;
Cum nivibus terras saeva perurit hyems
Qui piger, es sapiens: aestas tibi prima juventus,
Utere, dum studiis tempora amica fluunt.
Undique laeta seges campo pietatis opimo,
Musarumque, avida tu rapito inde manu.

LIII.

In idem argumentum.

Quam primam natura dedit, cum sede locantur,
Cunctis vis major rebus inesse solet.

Aequore vividior piscis, micat aethere Phoebus
Clarior, unda magis fonte recepta nitet.
Ast sortita sibi est pietas, propriamque dicavit
Aedem hanc, effingi quid queat utilius?

LIV.

Idem argumentum.

Vis mira exempli, invitis licet imperat unum,
Quod nequeunt multis verba diserta modis.
Discitur exemplo citius praecepta fideli
Virtus, et vitii publica facta via est.
Ipsa sibi hoc prodest, bona si sociata juventus,
At nocet exemplis, si mala, et ipsa suis.

LV.

Idem argumentum.

Coelo lapsa prius laudes supereminet omnes
Vel pro thesauris digna Sophia peti.
Omnibus aucta bonis nempe affluit ipsa, nec unquam
Humanae sortis nubila tuta timet.
Copia at haec illam dant divite sacra lycaea,
Pro meritis quisnam concelebrare valet?

LVI.

In amoeniorum litterarum laudem.

Tot Dominos terrarum olim, rerumque potentes
Desinat ingentes turba stupere duces.
Mobilibus vicibus nutant obnoxia regna,
Saepius infando sanguine parta virum.
Sors melior, quibus est, terras cognoscere tuto,
Et cuncta ingenio posse tenere datum.

LVII.

In utilitatem disciplinae.

Sint procul hinc gemitus, procul hinc suspiria, pubem
Disciplina levem durior una regit.
Quae Rosa sole cadit per apertos languida campos
Sentibus ab rigidis obsita laeta viret.

LVIII.

In amoeniorum litterarum laudem.

Fertur Alexander, tumulum cum vidit Achillis,
Illacrymans tales ore dedisse sonos:
Fortunate nimis divinum nactus Homerum,
Quo post fata virum laude superstes eris.
Et recte: heroum nomenque decusque peribunt,
Si meritas laudes docta Camoena silet.

Digitized by Google

LIX.

IDEM ARGUMENTUM

In illud Simonidis: Mecum mea sunt cuncta.
(Phaedr. Fab. IV. 21.)

Cum patriam repetit vates ob carmina Deus
  Jam locuples, subito est turbine fracta ratis:
Dumque legunt comites tumidum sua rapta per aequor,
  Pondere pars pressi praecipitantur aquis.
Unus at ipse metu perstat securus ab omni,
  Nec cura quicquam sollicitatur opum.
Ut terra potiuntur, egestas opprimit illos,
  Affluere huic cunctis docta Camoena dedit.
Quam bene cuncta gerit secum, cui larga supellex
  Doctrinae est, dubias non subitura vices.

LX.

IN LAUDES SILENTII.

Simonides ajebat, se numquam poenituisse quod tacuerit, sed saepe quod locutus fuerit.

Poenituit numquam tacuisse, at saepe locutum
  Sic olim Ceae gloria magna lyrae.
Et bene, nam quidquid retices, vox altera reddet,
  Quod semel effatus, non revocare vales.

LXI.

In quemdam, qui matrem sinu suo in itinere morientem vidit.

Quis fando, Raphael, curas, saevosque dolores
  Explicet, oppressum queis modo pectus erat,
Dum patrios repetens fines (quis crederet unquam?)
  Ex oculis matrem mors inopina rapit?
Quantum crescit amor, tantum dolor ipse redundat,
  Fons idem vires praebet utrique suas;
Ante alios maternus amor si maximus usque,
  Maximus ante alios debuit esse dolor.

LXII.

Cum ad sacrum Presbyteratus ordinem quidam Poetae Amicus proveheretur, gratulationis ergo.

Virgae rara suae sileat miracula Moses,
  Florens nec jactet virga Aarona suum.
Nec templum celebret Salomon varia arte renidens,
  Quod stupuit quondam solis utrumque latus.
Quique ulnis fovit cupidis complexus Iesum,
  Haud placeat tanto laetus honore sibi.
Cuncta tibi haec cedunt: templum pretiosius idem,
  Mira facis, manibus stringis et ipse Deum.

Digitized by Google

LXIII.

In laudem Josiae Regis Judae.

Τῳ Φοιβῳ μεν ετευξε παλαι ταδε αγλαα διφρα
Η Σολυμη πιςυνη ψευδῳ εωσα Θεῳ.
Ηδη εχωσα κακω εοτεν νοον ημμενον αυτη
Την ικνυν καμψην τωτο αγαλμα τιει,
Μηδεν Ιωσιας τετληκε: κακον δ'αποειπων
Αγλαα τω Φοιβωαυτικ' ολεσσε διφρα.
Νυν ιθι, και συ φλογας νυν, βοιβ', επιφαινε πυρωδεις,
Γαρ σεο πυρ σβησδη εξ ετεροιο πυρος.

Idem latine.

Flammiferos currus Phoebo sacraverat olim
Gens Solymae, vano credula turba Deo.
Jamque illis mentem insano correpta furore
Poplite dum flexo thurea dona cremat;
Haud patitur Josias: scelus indignatus, et ira
Percitus in cinerem nobile vertit opus.
I nunc, atque tuas ignitas, Phoebe, favillas
Jacta, namque alio hic ignis ab igne cadit.

Digitized by Google

Lo stesso,

SONETTO.

A quei, che in Cielo comparisce adorno
Di vaga luce; a que' che il tetr' orrore
Toglie alla notte, e rende chiaro il giorno
Quando spande nel Mondo il suo splendore,
Avea sacrato un cocchio, e a quel d' intorno
Ingannato l' Ebreo da un fals'errore,
Quando Febo al mattin facea ritorno,
Curvo il ginocchio gli offeriva il core.
Giosia n' arse di sdegno, in un momento
Al suol lo stese, in mille pezzi e mille
L' infranse, e in fin ne diè la polve al vento.
Vanne, o Febo, e l' ardenti tue faville
Vanta se puoi: tutto il tuo foco han spento
D' un altro foco picciole scintille.

LXIV.

Paculli Calavii ad filium oratio,
ut eum a caede Annibalis deterreret.

Nate, precor, patri per quae te vincula jungunt
Vincula non ulla dissolüenda die,
Ne sinito ante meos oculos audere nefanda,
Ne sinito infandum suppliciumque pati.

Omnia jam nuper jurati numina divum
  Hospitio dextras junximus, atque fidem,
Colloquio extemplo digressi suminus arma.
  Arma duci Poeno quae fera bella cient?
Illius mensam spargent modo quaeque cruore;
  Qua primos inter discubuisse datum est?
Te potui Annibali nuper placare furenti,
  Vincere nunc iram non datur ergo tuam?
Si violare fidem cupias, patrare nefanda,
  Crimine ne nobis perniciemque feras.
Annibalem aggrederis solus? Quid agit manus ingens
  Servorum vigili quae statione manet?
Ipsius et vultum, armatus quem exercitus horret
  Martia Roma pavet, tu modo ferre vales?
Caetera si desint fili munimina, pectus
  Ipse meum opponam, tune ferire potes?
Annue jam patris votis, ut et Annibal ipse
  Annuit et veniam mique tibique dedit.

LXV.

IN APOSTOLORUM PETRI ET PAULI LAUDEM.

Desine, Roma, duces, veteresque efferre triumphos,
  Per quos terrarum subdita cuncta tibi.
Sub tua jura illi stricto quas ense vocarunt,
  Servitio gentes te domuere gravi.
Namque accepta tuis per innania numina templis,
  Tristius errorum es visa subire jugum.

Si sapis et Paulo tantum tibi plaude, Petroque,
Per quos imperio subdita es ipsa novo.
Nimirum his ducibus, pulsis erroribus, una
Latius in terras es dominata fide.

LXVI.

IN LAUDEM D. DOMIMICI.

Ιερον οττε υδωρ Γυσμανον εβαπτε, μετωπυ
Ειν αυτου αστηρ στιλπνος ελαμψε ταχα.
Δηλαδη ως λαμπει αςηρ αδιαφθορος, υτω
Και ακακος κεινυ στηδος υπαρξεν αει.

Idem latine.

Infantem dum Gusmanum sacra perluit unda,
Fronte renascentis stella corusca micat.
Auguror: ut sidus nullo corrumpitur aevo,
Sic animo candor permanet usque suo.

LXVII.

IN D. ATHANASIUM.

Ουλαμος ανδρωπων, βλαβερου τυ αγοντος Αριυ,
Πιστιος εκπερσαι ορμαε τον θεμετλον:

Digitized by Google

Αυ τικα τον δ' Αϑανας δονακοσ μεν ελαυνει ατρεπτυ
Και πασ' αντησι εχϑρα πεσεντε βια
Κοκλιτα η φημη σιγᾳ, ος ερειψεν ετρυσκυς,
Κυνδινοιστε μονος πατριδα λυσεν εο.
Γαρ μονον υτος αλεξησεν τη, Ρωμῃ εκεινος
Ουλῳ τῳ κοσμῳ, τις αρα κυδοτερος;

Idem latine.

Jam tentat manus atra hominum, duce et auspice Ario,
Dogma caput Fidei funditus eruere.
Vix tamen hanc Athanas calamo metuendus, et acri
Ingenio exagitat, cum ruit ipsa cito.
Fama cadat Coclitis, robur qui frangere hetruscum,
Et patriae potuit ferre sat unus opem.
Depulit hic una Roma, toto ille pericla
Orbe, decus cuinam majus habere datur?

SONETTO.

Turbe frementi all' elevato segno
Corron d' Ario lor duce astuto e fero,
E tentan già l'Uom Dio sbalzar dal regno,
Di nostra Fè guasto il maggior mistero.
Atanagio l' affronta e con disdegno
(Qual brilla in viso a marzial guerriero)
Cotal usa armeggiando arte ed ingegno,
Ch'alfin rotte e conquise al suol cadero.
Di Coclite Roman deh! taccia il grido,
Che sol potè fiaccar l' ostil furore,
E la patria salvar del Tebro al lido.

Quei dal mondo bandio l'alto terrore,
Questo sbandillo sol dal patrio nido:
A chi de' due si dê' vanto maggiore?

LXVIII.

Τιπτε κακας απατας βυλει ετι, λαε κακιστε,
Τυ Αϑανυτιμην και διασυρες υβρει;
Ματην εστι πονος μεν απας, ει πειϑη, εκεινον
Εκπιπτειν υτω τυ μενεοφιν εϑεν.
Τυ Θειυ γαρ εων μεστος, και δια τα δεινα,
Εν γναμη καλκυ σκληροτερος μενει.
Σειο μεν υν αυτος ποσα εγχειρεματ απωϑει,
Νικητης ληξει τοσσα τα καινα σεφῆ.

Idem latine.

Quid fraudes moliris adhuc, gens impia? nomen
Praesulis innocuum dente quid atra petis?
Niteris incassum, studioque incumbis inani,
Si speres illum posse movere gradu.
Pectora cui flagrant divino numine, quamvis
Tristia quaeque premant, firmior ære manet.
Quin audax etiam tua quot molimina perdit
Ille, sibi decoris tot nova serta legit.

LXIX.

IN EJUSDEM LAUDEM

Athanasius dum latuit, haereticis consectantibus, non parvo Ecclesiae fuit usui.

Οφρ' Αϑανας λητει μεν τοις σκοτοεσσι ταφοιο
Τοφρακε τηνπιστιν ποιεε λαμπροτεραν.

Idem latine.

Abditur in caecis antris Athanasius atque
Efficit, ut niteat clarior orbe fides.

Lo stesso

CANZONETTA

D' un antro mutolo
Dal cieco orrore
Sparge Attanasio
Luce maggiore.
Chè feo più lucida
Con chiaro stile
La fede splendere
Da Battro a Tile

LXX.

In illud:
Faciam illum columnam in templo Dei.

Servitio pharii gens ut judaea tyranni
Exiit, extemplo visa columna polo est.
Et dum nox umbris instantes opprimit hostes
Isacidum illa suo lumine castra praeit.

Digitized by Google

Haud secus aethereae doctrinae lumine late
Gusmanus cunctis gentibus enituit:
Scilicet errores dum perdidit ipse, ruenti
Inde fuit Fidei firma columna satis.

Lo stesso

SONETTO.

Allor che fu spezzato il giogo indegno
Che lungo tempo al popolo di Dio
Gravò sul collo, e del Niliaco regno
Sotto il comando del buon veglio uscio;
Tosto per l'ampio Ciel mirabil segno
Colonna splendidissima appario
Che ad Israël diè lena, e gran sostegno
Mentre notte opprimea l'Egizio rio.
In trist' età colonna risplendente
Fu Domenico ancor, che i rai diffuse
Di celeste dottrina, ad ogni gente:
Ed in mezzo a tante ombre circonfuse
Appoggiatosi a lui la Fè cadente
Dell' Inferno mirò l'arti deluse.

LXXI.

IN DIVINAM ANASTASIM.

In illa psalmorum verba: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Tabis causa prior labes, quae nescia labis
Corpora et aeternum nescia tabis erunt.

Nil Jesu integrius, nil labe carentius unquam;
Jure illum foeda tabe carere decet.

LXXII.

Idem argumentum.

Desine jam vero vanas obtendere causas,
Nec te, Hebraee, tibi sic dare verba juvet.
En Christus virtute sua signata sepulcra
Evadens victa morte triumphat io;
Haud comites rapuere sui, si vera fateris,
Latronem dices surripuisse tibi.
Quem modo nempe Deum morientem credidit ille,
A nece jam vivum stultior ipse negas.

LXXIII.

Idem argumentum.

Quae late obscuram per noctem sidera fulgent
Protinus aufugiunt, Sole oriente, polo.
Justitiae at Solem, tumulo cum surgit, ut astra,
Excipiunt patres, qui latuere prius.
Nil mirum illa micant nativo lumine, Christi
Iis una aeternnm fulgere luce datur.

LXXIV.

Cum ad sacerdotium proveheretur quidam, ejus frater gratulationis ergo.

Tot populi plausus inter tibi plaudere, frater,
Debeat argutis nostra Camoena modis.

Digitized by Google

At modo qua fulges, superat tua gloria laudes;
Toto quippe nitet pulcrius orbe nihil.
Numinis interpres terris, tu Numinis instar
Exerces ipso jura verenda polo:
Hinc taceam, ne magna puter tenuare loquendo,
Cedit et in summum saepe tacere decus.

LXXV.

LAUDES SILENTII.

Cum quaerunt alio terras sub sole calentes
Et juga Tauri Aquilis praeter iniqua volant,
Mosest anseribus parvo præcludere saxo,
Garrula ne prodant hostibus ora suis,
Stultitiæ si damna tuae visipse cavere,
Apta silens ori ponito fraena tuo.

LXXVI.

IN LIBROS OBSCOENOS.

Αυτικα τυ βερεθρυ ανγνυντο πυλαιφι, και ενθεν
Καπνος αποθρωσκων ηελιον σκιασεν.
Ουτω τας βιβλυς οστις μενοιγ' αθεμιστυς,
Αιρυνται ταχεως ην φρενα πολλα σκοτῆ.
Τυνεκ'αρ ωσ λοιμον κεινυς νυν παντες αλειστε,
Εκ νυ γαρ πιστιν εξελαυσιν ολην.

Idem latine.

Os stygii ut patuit putei, erupere tenebrae,
Et subito ex oculis eripuere diem;

Haud aliter libros aperis quicumque profanos,
  Nox premet extemplo mentem animumque tuum.
Ergo tam tristes, quaeso, ne tange libellos,
  Lucem abigent Fidei pectore quippe tuo.

LXXVII.

Idem argumentum.

Ος γε Θεος μεν εσεστε παλαι τοις πρωτογονοισι
  Ανθρωπον σατανας δια δρακαντος εφη.
Αλλα νυνι βιβλοις εκ τυ ερεβοιο δοθεισαις
  Μηχαναι, ηρ'υμμες, μηλα δε εστε, λεγει.
Ουν αρ' ονειδιζει σατανας, κυδαινετ' ομαρτῆ,
  ψευδεις ανθρωπος ως αλιτοιτο αει.

Idem latine.

Per Colubrum nostris primaevis patribus olim
  Vos eritis, Satanas, Numinis instar, ait:
At nunc per libros, Erebo quos ipsemet edit,
  Vos estis, dicit, machina, planta, pecus.
Ut libet, ergo hominem Satanas nunc dejicit, et nunc
  Tollit, in omne scelus falsus ut ille ruat.

Idem argumentum.

Is studio finis mentem formare per aptas
  Artes, et mores non sinere esse feros:

At qui rerum inopes bullas imitantur inanes,
  Nil libri, quo mens erudiatur, habent.
Hinc oleum atque operam perdit qui totus in illis
  Sinceris studiis tempora danda terit.

LXXVIII.

In Rutilii studium litterarum studio utilius.

Quid tibi cum libris? vel emis, marsupia curtant,
  Vel legis, et corpus lima ut acuta terunt.
Jam sapere incipias, librosque Rutilius omnes
  Qui superat, studii meta sit una tui.
Namque tribus numeris deductis inde, bearis,
  Cum sonat a magno tensa crumena lucro.
Certe ego, difficiles sinerent si forte parentes,
  Nunc emerem, huic totam mentem animumque darem.

LXXIX.

Palinodiam cano.

Nimirum libros unus supereminet omnes,
  Rutilius mira quod capit arte viros.
Nunc versos, nunc fine pares similique figura,
  At numeros numquam, quos petis, ille dedit.
Magnarum pertentat opum quem grata cupido,
  Assidua evolvas sedulitate libros.
Emptoris curtant illi si nempe crumenam,
  Doctorem lucro mox redeunte beant.
Dumque terunt corpus, fera tela cupidinis arcent,
  Et limant animos, expoliuntque rudes.

Digitized by Google

LXXX.

IN DIVI JANUARII LAUDEM.

NEAPOLITANAE CIVITATIS AD BENEVENTANAM

APOSTROPHE

Sanctus amor patriae est: patriae sunt jura colenda,
  Qua nihil immenso charius orbe sonat.
In patriam quod amore flagret Januarius almo,
  Qui negat, hic sana relligione caret.
Sanguinis at vivi nobis dedit ille fruenda,
  Exsecti et capitis pignora sacra sui.
Quid frustra certatis? amor litem ipse diremit,
  Quos amat, hos cives signat et esse suos.

LXXXI.

IN IMPERITOS.

Orphea cantando silvas traxisse, ferasque,
  Et rapidos fluvios continuisse ferunt.
At numquam memorant eadem dulcedine blandae
  Auritos asinos conciliasse lyrae:
Durius hoc nempe est cunctis animantibus, et quod
  Non fraeni, non ars ulla tenere valet.
Ad Chelyn hinc asinum veteres dixere latini,
  Quoi crassum ingenium est, duraque barbaries.

LXXXII.

In illa Ecclesiast. verba:

Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens.

IN MULIEREM

Quam bene, dum Sapiens morum praecepta recludit,
  Infixa haec penitus mente tenenda monet!
Damna illata viro semper potiora putato,
  Quam bona contulerit foemina si qua tibi.
Nempe venenatis te donis ista necabit,
  Ille tuum augebit per sua damma decus.

LXXXIII.

In eamdem,

DISTICHON

1.

Quid quereris morbos, quid tristia bella, famemque?
  Cuncta haec invexit foemina, alitque mala.

2.

Si vis mente frui, si pace, bonaque salute,
  Foemina, crede mihi, est una cavenda tibi.

Digitized by Google

3.

Omne malum est mulier: cunctae teterrima fraudis
Scilicet illa homini semper origo fuit.

4.

Nocte dieque strepunt ullo sine more loquaces
Amens et mulier: credite jure pares.

LXXXIV.

In utilitatem Tabacci

TETRASTICON

Distentum recreat curis, relevatque gravatam
Vim mentis, soli ceu comes alter erit:
Foedus amicitiae jungit persaepe tabaccum.
Haec si cuncta facit, quis neget esse bonum?

LXXXV.

MALETUM a malis *prima longa, non a* malis hominibus, *ut quidam male opinantur, dictum esse hoc ostendit* EPIGRAMMA.

A malis, veniunt mensis quae grata secundis,
Maleti antiquis terra vocata fuit.
Fallitur, et nobis personam imponit iniquam,
Nomen ab indigenis qui putat esse malis.
Nam non Maletum, verum foret inde Malitum,
Malitiae ut monstrat vocis origo satis.

Digitized by Google

Et bonus et simplex semper fuit incola, blanda
Otia quem terrae nocte dieque tenent.

LXXXVI.

Aliquot dies Prochites commoratus, illius insulae amoenitate, et omnium rerum exquisito quodam nitore, incolarum imprimis urbanitate captus, hoc grati animi pignus ejusdem insulae benevolentissimis amicis D. D. D. POETA.

Quam tuus esse velim, cunctis Prochyte inclita rebus
Cantari heroo carmine digna satis:
Moribus urbanis, urbano splendida cultu,
Tu primas urbes inter habenda nites.
Ingeniis praestas, et Relligionis amore,
Virtutum inde tibi ridet amica cohors.
Flores alma fovet tellus, et vina benigna,
Proxima dat pisces aequoris unda ferax.
Deliciis loca cuncta micant, coeloque sereno,
Prospectu recreat Pontus ubique suo.
Hinc bene ab Æneae nutricis nomine dictam
Te memorant, nutris cum bona tanta sinu.

CARMINA VARIA

—

XYSTO

EX DUCIBUS RIARIO SFORTIA
S. R. E. CORDINALI PRESBYTERO
NEAPOLITANO ARCHIEPISCOPO ETC. ETC.
HUMANI GENERIS SERVATORIS
NATALI RECURRENTE DIE
STEPHANUS VIGLIONE SACERDOS DOMO MALETO
DAT LAETAM HENDECASYLLABIS SALUTEM

Pastores, Betlehem: quae te mora detinet? ipse
Si pastor, Betlehem tu quoque, Xyste, pete.

O dilecta Deo magis magisque
Pastorum Soboles, gregis colendi
Una quos habet et beat voluptas,
Urbium strepitu procul frequenti
Qui vitam trahitis satis innocentem,
Vanos pellite protinus timores.
Namque ipse advenio nitentis axis
Summa e sede ferens diu expetita
Cunctis gaudia gentibus futura:
Natus quippe homini salutis auctor,
Et Betlem gelido jacet sub antro

Lecto stramineo super molesto
Puer candidulus, venustulusque,
Quo nil candidius venustiusque est.
Contra vim Boreae et rigentis anni
Tegunt fasciolae, rudesque panni,
Leni Bos halitu, foveique asellus.
Eja nunc celeres specum beatam
Pastores petite, et puello amica
Vestra dona, licet misella, ferte
Quae praebent pecudes, apes, et arva,
Necnon mellifluae modos avenae,
Sopore ut placido quiescat ipse,
Dum laedunt paleae molestiores,
Et brumae asperitas nimis rigentis.
Ut Ille excipiet libenter ista
Dona! quot facilis bonis rependet,
Cuncta quae superant bona invidenda!
Xyste, tu quoque Pastor es, gregemque
Quantis o titulis beatiorem,
Nati delicias, opesque Pupi
Pascis sollicitus, foves, tueris.
O nunc sorte tua satis superque
Gaude, plaude tibi, novaque noctem
Age hanc laetitia benigniorem.
Oves candidulas, tenellulasque,
Pastoresque ovium tenellus infans,
Qui specu Betlehem jacet sub antro
Amat plus nitidis suis ocellis.
Quid te dulcius est, beatiusque?
Quid felicius est, benigniusque?
Te coelestis amat puer, frequentes
Quem chori Aligerum colunt, verentur,

Digitized by Google

Quem pavent stygiae nimis catervae.
At tu rumpe moras, citoque gressu
Ad Betlem propera specum beatam,
Et nato Puero vices rependе
Mutuas, animi calentis ignes.
Prae cunctis opibus, quot orbis ingens
Terrarum triplici e sinu ministrat
Dona sunt potiora amoris olli
Puri pectoris, integraeque mentis.
Pro queis Ille dabit fruenda in aevum,
Quam noctes homines diesque totas
Votis omnibus expetunt, beata
Pacis munera, et omnium bonorum
Vena divite copiam sequacem.

Digitized by Google

XYSTO

EX DUCIBUS RIARIO SFORTIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO ETC. ETC.
QUOD
CHOLERA MORBO URBEM MISERANDUM IN MODUM
INFESTANTE
PRO SUI GREGIS SALUTE ATQUE INCOLUMITATE
QUIBUSCUMQUE POTUIT REBUS
ENIXE ADLABORARIT
STEPHANUS VIGLIONE
SACERDOS DOMO MALETO
PRO SUA QUA PAR EST IN EUM OBSERVANTIA
PER THYRSIN MOPSUMQUE LEVI GRATATUR AVENA

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.
JOAN. cap. 10. v. 11.
Dignum laude virum musa vetat mori,
Coelo Musa beat.....
HORAT. lib. IV. Od. 7.

ECLOGA PASTORALIS

CUI NOMEN

DAPHNIS

ARGUMENTUM

Mopsum ab Urbe redeuntem obvius forte Thyrsis percontatus, quis Urbis status, quidve novi afferret inde, ille non sine quodam doloris sensu magnas a Cholera morbo illatas clades exponit. Tum quanta E.mus D.nus Xystus RIARIO SFORTIA, Neapolitanus Archiepiscopus sub Daphnidis persona designatus, pro sui gregis salute atque incolumitate per id temporis adlaboret, adjungit. Hinc Pastores iidem Mopsus ac Thyrsis, capta occasione, Daphnidis laudes prosequuntur.

THYRSIS.

Ecquid, Mopse, novi? rerum quid ab Urbe reportas?
Quid pecudes, quas cura tenet, propiusque tuetur

Daphnidis, et carpunt meliori gramine campos,
Pausilypi colles, et amabilis arva Vesevi,
Quaeque virent undas juxta sebethidas herbae?

MOPSUS.

Quid nunc, Thyrsi, rogas? taedet me ingrata referre
Laetitiae fuerim qui semper nuntius ante,
Meque tacere juvat potius, gelidoque sub antro
Et flere, et miseris tantum indulgere querelis,
Pectore et inclusas curas differre per auras.

THYRSIS.

Quae nova vel clades, vel tristia fata perurgent,
Omnibus aucta bonis quae paucis ante diebus
Parthenope stabat, silvarum gloria princeps,
Dic, affare bonus, ne vanis anxia curis
Mens me sollicitet veris majora timentem.

MOPSUS.

Scilicet humanis nulla est fiducia rebus,
Quas et mille vices agitant noctesque, diesque,
Me miserum meminisse piget, quod vidimus ipsi,
Quanta Urbs pressa gemat sub tempestate malorum
Luctus ubique, pavorque, et plurima mortis imago
Versant deliciis antehac, opibusque nitentem.

THYRSIS.

Tanta sed unde mali labes, ac tristis origo?

MOPSUS.

Longinquis advecta oris teterrima labes,
Quam Choleram dicunt morbum cognomine, passim

Et miseras adflictat oves, oviumque magistros.
Haud ita cum rabidis certant Aquilonibus Austri,
Sternuntur segetes, sata laeta, boumque labores:
Horrida tempestas terram, maris aequora, coelum
Permiscet, nullique manet sua forma, decusque:
Tot ius haec, bacchante lue, miserabilis urbis
Est rerum facies, captaeque simillima imago.
Compita moesta silent, quae plausibus ante fremebant,
Undique flebilibus resonant plangoribus aedes,
Hic fugit, hic trepidat, pressusque pavore medentes
Consulit, ac dapibus cane pejus et angue negatis
Abstinet, hi votis Superos, precibusque fatigant,
Templa petunt, pactis cumulantque altaria donis:
Conjugis hunc agitant, hunc tristia fata parentum,
Huic dulces nati, praerepti huic funere fratres.
Sed magis infelix pecus afflictatur, et inter
Florentes cytisos, et pascua amoena salicti
Moere ntes ponunt animas cum matribus agni,
Om nibus aegra viis cadit ipsa et fida canum vis:
Pharmaca nulla satis, nec certa piacula prosunt,
Quin et saepe nocent, et in atra venena repente
Vertuntur, tabisque acuunt malesana furorem...
Singula quid referam? nihil hic nisi triste videre est.

THYRSIS.

Haec nempe illa lues, cunctas dominata per oras
Quae laetas silvas, claras vastavit et urbes
Et tribus hinc retro lustris bona Parthenis (a) alto
Numine devictam stygias detrusit ad umbras.
Quam foeda illa fuit! quot oves periniqua voravit,

(a) Hoc nomine Deipara Virgo sine labe concepta designatur a verbo graeco παρθενος Virgo.

Improba quot Lycidas, quot perdidit Alphesibaeos!
Sed (meminisse potes) projectus ad ilicis umbram
Hanc tibi praedixi, cum nostra per arva racemi
Nescio quo labefacti pulvere vina negarent,
Ambustae et segetes uredine, nec sibi constans
Annus iit, solitos nec misit Vesvius ignes.
At quid, tanta premunt pecudes dum funera, Daphuis?

MOPSUS.

Pimenis (a) exemplum, praeceptaque dia secutus
Immemor ipse sui per certa pericula vitae
Sollicitus, positaque nemus gravitate pererrat,
Nec dedignatur magalia humillina adire,
Nec spelaca situ, neve horrida sentibus antra (b)
Quot bonus ipse modis infirmas usque Capellas
Et levat, et nigris e faucibus eripit Orci;
Has fovet, et recreat blando modulamine vocis;
Qua vim saepe fugat morbi, et genus omne dolorum;
Ilis fomenta, aliis dat pascua laeta salutis,
Has ungit, firmatque luis luctamina contra,
Instaurat caulas aliis, alimentaque praebet
Mitia, non curis parcit, neque sumptibus ullis:
Morte obita, vitaque sua jam corpora functa
Curat adhuc, servatque fero procul ungue repulso (c).
Omnibus at potiora adhibet pia vota medelis.
Suppliciter tristem per silvam incedere pompam,

(a) Hoc nomine a graeco verbo ποιμαν *pasco* deducto summus Pastor animarum Jesus Christus intelligitur.

(b) Per *magalia*, *antra spelaca* squallentes et sordidas pauperiorum domos intelligit Poeta.

(c) Scilicet Em. Archiepiscopus inspecturus an rite inferrentur cadavera, extra moenia posita sepulchra saepe adivit, et curiosus invisit non modo in Urbe, sed etiam per Dioecesim.

Digitized by Google

Templa ad cuncta preces effundere jussit, et ipse
Supplicis indutus vultumque, habitumque verendae
Signa crucis gestans formam dat rite precandi:
Silvarum Dominae hinc adeunt delubra vetusta,
Quam Constantini devectam ex Urbe loquuntur
Exegisse olim saevae contagia labis:
Scilicet offensi sic flecti Numinis iram.

THYRSIS.

O si per Daphnin cedunt tot commoda silvis,
Incolumem, Superi, Daphnin servate benigni.

MOPSUS.

Antiquum taceat Daphnin modo fama, secundis
Cujus ab auspiciis Insubribus aurea facta
Saecula, et immanis subito contagio abacta,
Et salvae factae pecudes, lustrataque rura (a).
Vindex ille gregis, ruris tutamen et ingens:
Non minus at noster Daphnis columenque, decusque
Parthenopes fulget pecori, pecorisque magistris;
Auspice quo secura lupos, saevosque Leones,
Infestas hyemes, et cuncta pericula temnat.

THYRSIS.

Si vos agrorum, pecudum si gratia tangit,
Sospite quo salvae pecudes, et rura vigescunt,
Incolumem, Superi, Daphnin servate per annos.

(a) Designatur hic Divus Carolus Borromaeus Mediolanensis Archiepiscopus, spectatissimae in Dominico excolendo grege difficillimis praesertim temporibus sollicitudinis exemplar.

MOPSUS.

Haud ita Sol oriens noctis fugat orbe tenebras,
Occiduos relevat flores, et prata, colorem
Adducit rebus, laetos et reddit agellos:
Daphnis ut aegrotas ipso beat ore capellas.
Vidi egomet, morbo cum conflictata jaceret,
Efflaretque animam, nullo miserante, secundum
Quaedam forte viam pecus, hanc simul aspicit errans,
Accurrit Daphnis, lenimina certa ministrat,
Tabis et illa statim mirum! purgata valere (a):
Vidi egomet, quoties lustraret ovilia Daphnis,
Undique sponte sua mixtos cum matribus agnos
Illius ante pedes procumbere, ad aethera plausus
Tollere certatim, festasque agitare choreas.

THYRSIS.

O si per Daphnin redeunt tot commoda silvis,
Incolumem, Superi, Daphnin servate benigni.

MOPSUS.

Vulnera permulcent ut balsama grata, capellas
Daphnidis afflictas sic mellea verba, decentes
Cujus in ore sedent Charites, blandique lepores,
Et tristes abigunt melius, quam pharmaca, morbos.

(a) Nimirum cum morbo correptus quidam jam moriturus sub quarumdam aedium vestibulo secus viam abjectus jaceret; illac forte transiens Em. Aschiepiscopus, simul ac vidit, e curru descendit, illique bona verba precatus, adhibitoque pharmaco, quod secum in pauperum usum gerebat, ille statim morbo levatus est, et postea convaluit.

THYRSIS.

Vita, salusque ovium, silvae jucunda voluptas,
Gloria Pastorum, merita modo laude celebrat
Te praesens aetas, te postera, Daphni, stupebit,
Pro grege supremum vitae discrimen inisse.

MOPSUS.

Sole sub ardenti gratae pastoribus umbrae,
Herbas ros mulcet, sitientem rivus agellum:
Daphnide Parthenopi potius, nil gratius unquam est,
Auspice quo adversas ferventes despicit iras
Hostiles, dubiis neque casibus illa gravatur.

THYRSIS.

O fortunatae nimium bis terque Capellae,
Daphnidis alma boni propius quas umbra tuetur:
Gramina securae, et salices carpetis amaras;
Non vos laedet hyems, gravibus neque solibus aestas,
Non angues, artesve malae, non ulla venena.

MOPSUS.

Daphnida queis audire datum, et spectare, magistri
Felices nimium! monumenta quot inde licebit
Sumere virtutum, pecudesque; et rura colendi!
Quae pietas animi, morum quae gratia et oris!
Olli quantus amor gregis, et quae cura tuendi est!

THYRSIS.

Sed jam musa suos excessit rustica fines,
Et Sol festinat caput occultare sub undas:
Nox pecori nocitura subit, nocitura magistris:

Fistula nec tenuis Daphnin majora merentem
Laude efferre valet merita, quem Tytirus ipse
Pastores inter doctissimus arte canendi (a)
Diffidat dignis extollere posse camoenis.
Haec illi potius solvamus vota, quotannis
Quae repetant seri ventura in saecla nepotes,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis:
« Si vos silvarum, pecudum si gratia tangit,
« Incolumem, Superi, Daphnin servate benigni,
« Pastorisque boni, Pylios cum expleverit annos,
« Praemia digna polo per vos ferat ipse laborum.

(a) Virgilium Maronem sub Tytiri persona designatum intellige.

Digitized by Google

IN OBITUM VITI CAPIALBI

LUCTUS PASTORITIUS

Sub Corydonis persona Viti Capialbi mortem lacrymis prosequuntur

PASTORES

Mopsus et ***Menalcas.***

MENALCAS.

Quid moeres, bone Mopse, cavae projectus ad umbram
Ilicis! indignas quas volvis pectore curas?
Saeviat ut glacialis hiems, tamen omnia ruri
Pastores suadent dulces agitare choreas.
Almas foeturas et opimi munera lactis
Dant pecudes, laeto succrescunt omine sulcis
Mandatae segetes, messes spondentque benignas:
Insidias nec damna lupus meditatur ovili.
Cuncta vides nostros tranquilla nitere per agros.
An tibi praecinuit quis tristia vanus haruspex?
Praesentem tu carpe horam, quid deinde futurum est,
Sperne modo, et prudens superis permitte cavendum.

Digitized by Google

MOPSUS.

Quid laetas memoras segetes, pecudesque, Menalca,
Delicias quondam, nunc semina amara dolorum?
Ah pereant silvae: silvarum gloria princeps,
Gloria pastorum, pecudumque o quanta voluptas,
Occubuit Corydon. Oculis quis funera siccis
Haec spectet? Nimium, o nimium crudelia fata,
Nullane vos tenuit pietas, neque gratia, tantum
Eripuisse caput, tristi quem funere mersum
Ipsae vel tigres, ipsi flevere leones?

MENALCAS.

Verane, Mopse, refers, vel inania somnia jactas?
Qui silvis peperit decus immortale, canentem
Quem toties montes, toties stupuere capellae,
Nestoream qui dignus erat traducere vitam,
Occidit heu! Corydon? jam rura ingrata valete,
Quandoquidem humanis nulla est fiducia rebus,
Dumque it fausta dies, metuenda est altera nobis,
Dein miseris potius juvat indulgere querelis,
Rupe sub informi lucem silvasque perosum,
Quam silvis, dulci Corydone absente, manere.

MOPSUS.

Spargite largifluos, mea lumina, spargite fletus.
Occidit heu! Corydon, quo non praestantior alter
Arcadia fuit in tota mulcere cicuta.
Moenala, vel Tibris ripas, et gramina late,
Necnon et terras alio sub sole calentes,
Illum divino modulantem carmina plectro

Cunctae miratae silvae petiere magistrum (a);
At vos, crudeles Parcae, crudelia fata,
Perfida quae nobis tantum invidistis honorem!

MENALCAS.

Hoc erat, hoc, agerem pastum cum forte capellas,
Invitae matres carpebant gramina, et hoedi
Haud solitis secum visi colludere pugnis.
Hoc erat, inflandam caperem cum nempe cicutam,
Aut nullum, aut laevum reddebat dissona cantum,
Saepe, et sponte sua manibus delapsa cadebat.
Hinc aberat Corydon, nostrae decus omne cicutae,
Hinc aberat Corydon pecudum jucunda voluptas:
Ipsae te pinus, Corydon, salicesque peremptum,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta queruntur.

MOPSUS.

Spargite largifluos, mea lumina, spargite fletus.
Occubuit Corydon, quo non servantior aequi,
Justior, integrior, Superum aut reverentior alter.
Quanta olli pietas! quae rara modestia vultus!
Agrorum cultus, pecoris quae cura tuendi!
Crudeles Parcae, nimium crudelia fata,
Quot bona, quot nobis rapuistis commoda in uno!

MENALCAS.

In pecus, in silvas irata hanc Numina pestem,
In me vertissent, salvo Corydone, gementes
Quo sine oves, squallens sine quo nemus omne videmus,
Quo sine nostra jacet veteri sine honore cicuta.

(a) Varias hisce versibus Poeta designat Academias, quibus, et expetitus, et adscriptus fuit Vitus Capialbi.

Crudeles divi, crudelia sidera! labem
Heu quantam ablato silvis Corydone tulistis.

MOPSUS.

Spargite largifluos, mea lumina, spargite fletus.
Occidit heu! Corydon, rerum tutela mearum,
Qui blandos audire, et reddere saepe solebat
Versus, et saevas animo depellere curas.
Quanta, canente illo, nobis injecta voluptas!
Haud ita dispellit Boreae vis nubila coelo,
Adducitque diem meliori luce nitentem,
Pectore ut e nostro Corydonis abegit avena
Tristitiam, laetamque dedit me ducere vitam.
Quot virtutum illo didici documenta magistro,
Ut fidus docuit silvas, pecudesque colendas!
Crudeles nimium Parcae, crudelia fata,
Commoda quot Corydone mihi abripuistis in uno!

MENALCAS.

O qui phoebeas herbas calletis, et artes,
Dicite si qua viret per montes herba peremptum
Quae Corydona valet revocare in luminis auras,
Huc agite, o vobis si vis est tanta, feretis
E grege quae potiora juvant vos praemia munus.
At quonam rapior? mentem dolor improbus hausit.
Aera sat vanis votis, silvasque fatigo.
Tempore quae brumae sordet spoliata decore,
Vere novo tellus revirescit pulchrior herbis,
Vividior crescit dura jam tonsa bipenni
Ilex, exuti juvenescunt laetius angues,
Et celeres lunae reparant sua damna per orbem;

At semel extinctos nunquam sperare licebit
Posse homines iterum haec coeli convexa tueri.

MOPSUS.

Quod superest: olli tumulum statuamus inanem,
Ad quem pastores persolvent sacra quotannis,
Coesis bissenis nostris ab ovilibus agnis,
Silvestresque ferent violas et lilia nymphae.
Inscriptum verbis tumuli frons carmen habebit,
Quod seri usque legent ventura in saecla nepotes:
Heic situs est Corydon, pastorum exemplar, et almae
Hujus deliciae nemoris, columenque, decusque,
Quem coluit vivum, nunc Mopsus plorat ademptum.

MENALCAS.

Virtutum si digna manent sua praemia coelo,
Quo tua te, Corydon, pietas evexit, et ingens
Relligio, meliora colis nunc rura, piorum
Fulgentes coetus inter, sedesque receptus
Aspice pacato nos isthinc lumine, silvas
Auspiciis tutare tuis noctesque, diesque,
Soevos inde lupos prohibe, et fera damna latronum.
Quae tua cura olim pecudes, pecudumque magistros
Incolumes, laetosque diu modo perge tueri.

MOPSUS.

Sit flevisse satis: nox ingruit atra tenebris,
Hoedis illa nocet, foetis nocet illa capellis,
Et jam tempus oves septis includere pastas.

ECLOGA PASTORALIS

CUI NOMEN

PARTHENIS *

—

PIO IX PONTIFICI OPTIMO MAXIMO
QUOD
CUNCTIS CHRISTIANAE REI PLAUDENTIBUS ORDINIBUS
DE IMMACULATA DEIPARAE VIRGINIS CONCEPTIONE
TAMDIU EXPETITUM DOGMA
SANCTISSIMIS ET GRAVISSIMIS UNDIQUE ACCITIS ROMAM
EPISCOPIS AC VIRIS
SOLEMNI INDICTA SINODO
EX CATHEDRA DEFINIERIT AC DE FIDE CREDENDUM
PROPOSUERIT
STEPHANUS VIGLIONE SACERDOS DOMO MALETO
AGRESTI CALAMO PER CHERILIN ATQUE MERIMNAM
GRATATUR, TUM PARTHENIDI DAT VOTA PRECESQUE

Tota pulchra es, amica mea, et macula non
est in te. *Cant. Cap.* VII, v. 4.

PASTORES

Chaerilis et ***Merimnas*** **.

CHAERILIS.

Ludite, festivae silvestres, ludite, musae,
Sumite nunc tacitas, pastores, sumite avenas,
Tollite mellifluas modo celsa ad sidera voces,
Ut resonent montes circum vallesque reductae;

* Nomen hoc deductum est a graeco παρθενος Virgo.

** Haec pastorum nomina a Poeta efficta a duabus graecis dictionibus, nimirum χαιρω gaudeo et μεριμνα curo, derivantur: quam convenienter vero et apte, e dicendis patebit.

Digitized by Google

Dicite io Pean, et io bis dicite Pean.
Spargite humum foliis, fument altaria thure,
Lectis eniteant magalia pulchra corollis,
Festa ut luce, vacet nemus omne, a vomere tauri
Cessent, cesset opus laetos quodcumque per agros,
Laetitia sed cuncta strepant plausuque frequenti.

MERIMNAS.

Quam bene respondent tua, Chaerili, nomina factis!
Laetitiam usque jubes silvas resonare canoras,
Seu glacialis hiems canos hirsuta capillos
Saeviat autumni, regnet seu mitior annus,
Gratia seu veris ridentes vestiat hortos,
Aut jam maturis aestas flavescat aristis;
Nullas ipse vices servas nec tempora prudens,
Non hoc laetitiam, non hoc fert carmina tempus,
Nunc gravibus curis, nunc insudare labori,
Vertere nunc terram, mandare et semina sulcis
Fas est, laetitiae non indulgere benignae.

CHAERILIS.

Tu curas meditare graves, meditare labores
Tempera, tu serves vicibus variantia certis,
Me potius juvat argutas agitare choreas
Et, gratum Superis, persolvere vota, faventes
Qui nova nunc nostris fecerunt otia silvis.
Gaudia quis teneat, quis parcat ineptus avenae,
Parthenis alma vocant dum nos ad gaudia laudes?

MERIMNAS.

Otia quae memoras, quae gaudia laeta, roganti
Ede mihi, et curas animo depelle severas.

Digitized by Google

CHAERILIS.

Confectus jacuit penitus vetus anguis averni;
Lis agitata diu, cecidit lis irrita tandem,
Cuncta per arva licet modo dicere Parthenia omni
Exemptam veterum vitio maculaque parentum :
Sic Pius asseruit, silvarum jura gubernat
Qui summus pastor, divino numine firma
Cujus dicta manent nullum casura per aevum,
Pastoresque alii simul assensere frequentes.
Ecquis contineat tacitos sub pectore motus
Parthenidos dum festa vocant ad gaudia laudes ?

MERIMNAS.

Oh! quae grata refers, quae, Chaerili, dulcia nostrum
Gaudia pertentant pectus: modo parce Merimnae,
Cherili, parce tuo: nobis quid gratius almae
Parthenidos tenui quam extollere ad astra Camoena?
Agros illa facit laetos laetasque capellas,
Parthenidem quoties silvas resonare docerem
Antehac, vos coryli testes, vos antra reposta,
Parthenidem alternis dicamus versibus ej
Praecipe, at insuetum,mea fistula, praecipe cantum,
Cantando egregium superes ut carmine vatem
Qui pecudes et agros cecinit, qui tristia bella,
Dic age quae dixit fagosque ediscere jussit
Pastores inter cantu doctissimus olim
Divinam ob mentem sapientis nomine dictus (a).

(a) Ne abluderet sermo a pastorali simplicitate, Poeta Merimnam loquentem inducit, quae a vetusto quodam et fatidico pastore audierat ac didicerat.

Digitized by Google

Ante mare et terras coelique volubilis orbes
Partheni aeterni prodibat ab ore Parentis.
Nondum diffuso pendebat in aere tellus,
Immani nondum surgebant pondere montes,
Nec subsidebant valles, nec flumina late
Undique praecipiti properabant murmure in aequor,
Nondum ridebant per apricos gramina colles,
Deliciae, tu dulcis amor, tu sola voluptas
Flaminis aeterni vario, quas ordine circum
Res componebat, tu, Partheni, forma, decusque,
Oh! quid te potius, quid gratius arva celebrant?

CHAERILIS.

Candida tota nites, nullique obnoxia culpae,
Candida tota nites speciosae more columbae:
Humani generis communi in clade parentum,
Tu sola immunis vitii maculaeque coruscas:
Quid te candidius, quid, Partheni, pulchrius usquam est?

MERIMNAS.

Tempore te longo priscae praesagia legis,
Partheni, signarunt, te mira ostenta notarunt
Exemptam penitus vitio maculaque parentum,
Montis Orebei medios illaesa per ignes
Virgulta, et merso ratis una superstes ab orbe,
Atque immune ab aquis vellus Gedeonis ut ingens,
Area tota simul perfusa liqueseeret undis,
Nil te candidius, nil gratius arva eclebrant.

CHAERILIS.

Tu solem et lunam, latoque micantia caelo
Per noctem vincis, tu, Partheni, astra nitore,

Vere novo tellus varios depicta colores
Visu pulchra nitet, fulges sed pulchrius ipsa.
Quid te candidius, quid, Partheni, gratius usquam est?

MERIMNAS.

Quantum alios inter splendescit Lucifer ignes,
Parthenis una omnes inter pulcherrima nymphas.
Quae ducis Assirii victrix caput ense peremit,
Et Jael, Sisarae quae clavo tempora fixit,
Debora, Lia tibi, cedit tibi pulchra Rachelis,
Cedunt hebraeas memorat quot fama puellas:
Nil te candidius, nil pulchrius arva celebrant.

CHAERILIS.

Nocte dieque pius qui te non diligit unam,
Parthenis, ille feris, saxis et durior ipsis.
Tu spes, alma salus te, Partheni, rite colentum,
Tu vita es, dempto quos gaudia fine manebunt,
Te colere haud quicquam utilius, nec dulcius agris.

MERIMNAS.

Ante mari pisces deerunt, aut piscibus undae,
Gratia seu campis florum, seu sidera coelo,
Parthenidos nostro cedat quam pectore imago.

CHAERILIS.

Et mea perpetuo claudentur lumina somno,
Parthenidos meritas taceat quam fistula laudes.

MERIMNAS.

Queis legere est flores atque alba ligustra puellae,
Cuncta per errantes nemoris loca florida major
Copia qua ridet veris, quod pulchrius extat
Carpite, tum pictis texentes molliter herbis,
Ferte citae, et merita vestra redimite corolla
Parthenidem immunem vitio maculaque nitentem.
O studii quae magna manent vos praemia tanti!

CHAERILIS.

Seu foditis terram, duro seu pondere aratri
Vertitis, agricolae, seu frondes stringitis, omni
Dicite Parthenidem vitio maculaque carentem,
Et messes sperate, illa tribuente, benignas.

MERIMNAS.

Aut agitis pastum, mersatum aut flumine pastas,
Aut tondetis oves septisve includitis, almam
Parthenidem inter opus, pastores, dicite ab omni
Immundam vitio veterum maculaque parentum.
Illius au spiciis per amoena gramina campos
Securae carpent pecudes, laetasque per annos
Foeturas niveique dabunt bona munera lactis,
Non insueta graves tentabunt pabula foetas,
Non laedent colubri, non coeca venena sub herbis,
Aurea saecla iterum passim dabit illa fruenda.

Digitized by Google

CHAERILIS.

Auspice te semper steterunt si cura benigna,
Partheni, dein propius nostra haec tutare, foveto
Inde malos prohibeto lupos, prohibeto leones,
Et fraudes quascumque, tegas cum matribus haedos
Qui pietate magis pius est, quam nomine dictus,
Respice et insanos contra defende latrones.
Tempus in omne tibi devotum respice Xistum
Pastoresque alios, quorum bene culta labore
Plura tibi reddent solemnia vota quot annis,
Plurima et ab nostro tibi concidet hostia ovili,
Virgineique chori lecto de flore corollas
Dona ferent clara repetentes voce Camoenam:
Candida tota nites, nullique obnoxia culpae,
Candida tota nites speciosae more columbae:
Nil te candidius, nil gratius arva celebrant.

Digitized by Google

IN

INGENUORUM ADOLESCENTIUM

QUI LITTERARUM CULTURA DESTITUUNTUR

INFELICITATEM

ELEGIA *

MORIAS (1), *stultus adolescens, cum Neapoli, quo studiorum causa a patre missus fuerat, litteras aspernatus genio indulsisset, domum reversus suam cognitam stultitiam hac deflet Elegia.*

Cum subit illa, olim vitiis qua turpis, et excors
  Musis utilius tempus in urbe dedi,
Quanta repente meam subeunt fastidia mentem,
  Quantus et excruciat pectora iniqua dolor!
Scilicet ingenuas artes, et jura docendum
  Huc cito me misit cura severa Patris.
Utque minas Austri, et pelagi fera praelia passus
  Solventem e portu nauta monere solet,

* Isthaec Elegia ab auctore, dum in Neapolitano Archiepiscopali Dioecesis Seminario hellenicas doceret litteras an.Rep.Sal.M.DCCC.XLIV, elucubrata fuit, ac typis, hortantibus amicis, mandata: verum postremo hoc loco est impressa, quod cum omnia statim post editionem distracta fuissent exemplaria, nullum sibi servabat Auctor, sed jam ad umbilicum hoc volumine perducto unum forte apud quemdam amicum repertum, et ab eodem comiter exhibitum fuit exemplar.

(1) *Morias* a Poeta effictum nomen est e graeca dictione μωρία *stultitia*.

Digitized by Google

Plurima sic monuit, cum me dimitteret illo,
  Et placido tales edidit ore sonos:
Nate tuo semper rerum dulcissime Patri,
  Pars animae potior, dimidiumque meae,
Ah mihi ne posthac summi sis causa doloris,
  Haec teneas memori mente reposta precor.
Quam petis, innumeris horret malefida periclis
  Parthenope, et magnis allicit alma bonis.
Namque hic Relligio gnavis bene culta ministris
  Divitias largo fundit amica sinu.
Exercentque sacris juvenilia corda palaestris
  Ingenio insignes, et pietate duces.
Qualibet invenies praeclaros arte magistros,
  Tota ubi cum Latio, Graecia docta sonat.
Hic oracla Themis, tenet hic sua sacra Sophia;
  Cultuque incedit Suada decora gravi.
Moeonides, Orpheus, hic magnus habetur Apelles,
  Quosque pares illis Itala terra tulit.
Publica regali nec parta volumina gaza,
  Aurea nec musis templa dicata loquar.
Aemula nec referam juvenum quid praemia possint,
  Queis virtus stimulis ardua quaeque petit.
Commoda at ista leves quotics laceranda per auras,
  Parthenope illecebris desidiosa jacit
Gratior est aer; Tempe quae Thessala possent
  Vincere, deliciis ut loca cuncta nitent!
Pausilypi colles, plaga Olympica, et ora Vesevi
  Otia quam subito mollia inire jubent!
Quot saepe incautos blando modulamine vocum
  Sirenes rapiunt in sua vota viros!
Ludorum festis strepitat genus omne theatris,
  Allicit, et saltat mille chorea modis.

Luxurie, strepituque micant dum compita circum
  Pallentes volvat coeca juventa libros ?
Tu tibi, nate, cave, ulla tui si gratia tangit,
  Ne sero sapias, tu tibi, nate, cave.
Sit dux Relligio, qua nulla potentior Aegis;
  Haec mentem, haec passus dirigat una tuos.
Declinato malos cane pejus et angue sodales;
  Exemplis aetas ducitur ista malis.
Quod fugit, ac fallit veluti sub imagine somni
  Effuge, quod prodest, impiger insequere.
Saecli praetereunt pompae, doctrina sed extat
  Fortunae dubias non subitura vices.
Hoc tandem reputa: Sapiens tibi proderis ipse;
  Stultitiae stultus pondus et ipse feres (1).
Haec ille: at monitis integra ego mente repostis,
  Quam petiit, fidei pignora certa dedi.
Siccine propositum tenui? pactamne parenti
  Ingenuum haud puduit me violare fidem?
Me miserum! unde animo melior cultura paranda,
  Ipsis jam redii tristior inde feris.
Me miserum! Exosus tempus quod in omne juvaret,
  Ardens adpetii quae nocitura forent.
Ire redire vias, nocles vigilare choreis,
  Et dormire dies unica cura fuit.
Ah! sibi quas longas sumpsit Raesonius (2) horas,
  Arguta ut nostras fingeret arte comas,
Certius in studium posuissem, animumque: referrem
  Cum multo impensas foenore laetus opes.

(1) His duobus versibus conclusa sententia e sacris libris desumpta est, Prov., cap. 9, v. 12, ubi sic habetur: *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.*

(2) *Raison* comae fingendae nunc temporis peritissimus habetur.

Finojae (1) male sit crepidis, Siculique (2) decoris
  Vestibus; ingenium vertit uterque meum!
Frustra obtundebat vario sermone magister,
  Cordelî (3) abstulerat clara taberna caput.
Importuna nimis recolo vos regia rura,
  Unde alimenta meis sunt data saeva malis.
Seu sol hesperium cursum properaret in aequor,
  Seu tenebris tegeret nox inimica polum,
Spectatum huc veni, veni spectarer ut ipse,
  Perfruitusque jocis sum, quibus illa nocent.
Ad dulces numeros coeco hîc correptus ab aestu
  Tristes, dicebam, saepe, valete libri,
Et pretiosa simul cerebrum Cervisia movit,
  Erravi, a furiis Thyas ut acta solet.
Quot struxi insidias, quot praelia coeca pudori,
  A me quot mores damna tulere boni!
Singula quid memorem? nullo cohibente, ruebam
  In scelus indomiti more furentis equi.
Me miserum! Ecquid agam juvenesque senesque per urbem
  Cum pueris doctam pallada ubique sonant.
Ingenuum turpe est juvenem nescire, canoris
  In fidibus turpis, dissona si qua fides.
Quid prodest nullis decorata pecunia musis?
  Quid prodest rectae mentis egenus honor?
Urbi pondus iners; hominum fastidia, vulgi
  Fabula, nominibus pulcher asellus ero.
Et si me verso fortuna volubilis orbe
  Linquat, qui misero portus amicus erit?

(1) *Finoja*, magni nominis sutor.
(2) Siculi (vulgo *Siciliano*) vestes magno sunt in honore.
(3) *Cordeil*, pileorum artifex laudatissimus.

Poenitet! ah nimium meus est lacrymabilis error,
  Quem non ulla satis poena severa premit.
Nec veniam mereor, quem sprevi dulce monentem,
  Majora ille facit crimina Patris amor.
Hei mihi! nil restat, vanus nisi luctus, et angor:
  Infectum esse nequit, quod semel egit homo.
Exemplis potius stulti bene docte sodalis,
  Insanire minus tu modo disce puer.
Intendas animum studiis, et rebus honestis,
  Dum res, dum studiis, te sinit apta dies.
Quae te blanda capit, rerum cito sordet imago,
  Adscito veluti scena decore nitet.
Urbs pelagi similis, scopulis scatet ista cavendis,
  Certum declines ne male cautus iter,
Nostrae laeva rati fuge saxa latentia, plenis
  Qua velis turbam videris ire, cave.

Digitized by Google

INSCRIPTIONES

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

In obitu clarissimi viri Cajetani de Fulgure Cathedralis Ecclesiae Aversae Canonici.

(In fronte tumuli.)

CAJETANUS MARIA DE FULGURE
QUI
EGREGIAM AD OPTIMA QUAEQUE NACTUS INDOLEM
ACCEPTAS A MAJORIBUS FUMOSAS IMAGINES
QUA VIRTUTE QUA INGENIO UNUS OMNIUM
AMPLIFICAVIT PLURIMUM
DECURSIS IN AVERSANI SEMINARII PALAESTRA
HUMANIORUM AC SEVERIORUM LITTERARUM
SUMMA CUM LAUDE CURRICULIS
TANTAM DOCTRINAE SUAE CONCIVIT FAMAM
UT
AETATIS V NONDUM EMENSO LUSTRO
CLERICALI VIX ADSCRIPTUS MILITIAE
DIGNUS SIT HABITUS
QUI
MATHEMATICA PHYSICA JURISQUE PRUDENTIAM
POSTREMO THEOLOGIAM IN SEMINARIO PER GRADUS
PROFITERETUR
VIII ET XX ANNOS NATUS
IN AMPLISSIMUM CANONICORUM
CATHEDRALIS ECCLESIAE CONLEGIUM COOPTATUS
VITAE INNOCENTIAM MORUM GRAVITATEM
ANIMI TEMPERANTIAM
PIETATEM FIDEM RELIGIONEM
EFFUSISSIMAM IN PAUPERES LIBERALITATEM
VIRTUTESQUE CAETERAS
QUAS ENIXE A PUERO EXCOLERE
FOVIT IMPENSIUS
SACRIS CLERICORUM IN HEBDOMADAS CONVENTIBUS
ET STUDIIS OMNIBUS IN SEMINARIO
PRAEFUIT CURIOSUS
EDITIS A SE LIBRIS
TOTAM PER EUROPAM CELEBERRIMUS
SUMMIS AEQUE ATQUE INFIMIS
GREGORIO PHAESERTIM XVI
APPRIME CHARUS
CUM PERDIU AD GLORIAM ET AD PIETATEM
AD ECCLESIAE ET LITTERARUM
COMMODA PARUM DIU
ANNOS LXXXII MENSEM UNUM DIES XIV
VIXISSET
HEM FATI INCLEMENTIA OBIIT XIV KAL. MAII
OMNIUM ORDINUM MOERORE AC LACRUMIS

Digitized by Google

(In parte tumuli postica.)

CAJETANO MARIAE DE FULGURE
EXIMII INGENII LAUDE
ABSTRUSIORUM DISCIPLINARUM PRUDENTIA
LINGUARUM OMNIGENAEQUE ERUDITIONIS CULTU
IMMORTALI
QUOD OLIM IN AVERSANO SEMINARIO
ADOLESCENTIBUS ECCLESIAE COMMODO INSTITUENDIS
SOLLERTIA ADLABORARIT SINGULARI
QUOD
EDITIS IN EJUS USUM THEOLOGICIS INSTITUTIONIBUS
LATINI SERMONIS ELEGANTIA METHODI FACILITUDINE
RERUM COPIA ARGUMENTORUM SELECTIONE AC ROBORE
PLANE DIVINIS
AETERNUM EIDEM PEPERERIT DECUS
QUOD
STUDIORUM PRAEFECTURA QUAM SUPRA HOMINUM FIDEM
AD EXTREMUM USQUE SPIRITUM
INTENTISSIMA GESSIT SEDULITATE
LITTERAS OMNEIS EXCITARIT PROVEXERIT AMPLIFICARIT
QUOD DEMUM MORIENS
PRETIOSA LIBRORUM DITARIT SUPPELLECTILI
IDEM SEMINARIUM
PIETATIS ERGO
HAEC JUSTA PARENTALIORUM OFFICIA
TANTI PARENTIS DESIDERIO MOERENTISSIMUM
PERSOLVIT LIBENS MERITO
QUAS MUTUATUS FULGURIS LUCEM HAUD MINAS
NITORE COMPLESTI NOVAQUE GLORIA
CHOROS RECEPTUS IN PIORUM PULCHRIUS
JAM SIDUS USQUE LITTERIS ADFULGEAS

Aliae ab aliis Seminarii Professoribus elaboratae fuerunt.

II.

In parentalibus cl. Viri Jacobi de Stephano Neapolitanae Cathedralis Ecclesiae Canonici.

(Ad dextrum temporarii tumuli latus.)

CANONICO
JACOBO DE STEPHANO
VIRO
INCORRUPTA FIDE
ANIMI CANDORE INNOCENTISSIMI
RARA MORUM INTEGRITATE
EFFUSA IN PAUPERES BENEFICENTIA
EXIMIA IN DEUM PIETATE
PER ADVERSOS VITAE CASUS CONSTANTIA
PER SECUNDOS MODESTIA VERE SINGULARI
VEL
PURIORIBUS ECCLESIAE SAECULIS INVIDENDO
QUEM
SUIS COMMODIS
INGENIO DUCE STUDIO COMITE VIRTUTE AUSPICE
AD DEVEXAM USQUE SENECTUTEM
ADLABORANTEM SUSPEXIT
MOESTA JUVENTA PIO REDDIT PIA VOTA PARENTI
QUOS SEVIT FRUCTUS SIC TULIT ILLE PIOS

Aliae ab aliis Seminarii Professoribus compositae fuerunt.

III.

In parentalibus Joannis Baptistae Gallo Neapolitanae Metropolitanae Ecclesiae Canonici Poenitentiarii.

(Ad tumuli latus dextrum.)

JOANNIS BAPTISTAE GALLO
PER SECUNDAS JUXTA ATQUE ADVERSAS VICES
ANIMI AEQUALITATE TEMPERANTIA
CETERISQUE BONI SACERDOTIS VIRTUTIBUS UNIVERSIS
SPECTATISSIMI
SINGULARIS IN DEUM PIETAS
ANTIQUA IN AMICOS FIDES ATQUE OBSERVANTIA
EFFUSA IN PAUPERES BENEFICENTIA
MEMORIAM IMMORTALITATI CONSIGNARUNT

(Sinistrorsum)

JOANNES BAPTISTA GALLO
TANTA MORUM FACILITATE ET NATURAE BONITATE
FUIT PRAEDITUS
UT
NON MODO AEQUO ANIMO OBTRECTATORUM TULERIT
IMPROBITATEM
VERUM
SUMMI SACERDOTIS JESU CHRISTI
PRAECEPTUM SECUTUS ET EXEMPLUM IMITATUS
INIMICOS IPSOS QUOAD VIXIT
PRAECIPUA COMPLEXUS CHARITATE
LARGIS ADFECERIT BENEFICIIS
QUISQUIS ES HINC DISCAS INIMICUM ULCISCIER OPTAS?
OLLI PARCE FAVE DAMNA REPENDE BONIS

Aliae ab aliis conscriptae fuerunt inscriptiones.

Digitized by Google

IV.

In parentalibus Justini Marinii Sacerdotis e Dioecesi Aversana.

(Prae foribus Templi.)

JUSTINO MARINIO SACERDOTI
OMNIGENA VIRTUTE PRAEDITO
ATQUE
AVERSANAE DIOECESEOS ORNAMENTO
PRAECLARISSIMO
CHOLERICA GRASSANTE LUE
INGENTI OMNIUM ORDINUM MOERORE
AC LACRYMIS
DEREPENTE E VIVIS SUBLATO
ANNO VERTENTE
JUSTA HEIC PARENTALIA
QUEIS VIXIT FACTI SI VOS NUNC GRATIA TANGIT
DICITE DENATO QUOTQUOT ADESTIS AVE

Digitized by Google

(Ad dextrum tumuli temporarii latus.)

JUSTINI MARINII
QUEM B. ALPHONSI DE LIGORIO
DE RE CHRISTIANA OPTIME MERITI VIRI
VIRTUTES IMPRIMIS CHARITATEM
HEU ! NIMIUM ID AETATIS NOSTRAE DEFERVESCENTEM
AEMULATUM
ANIMARUM LUCRO FACIUNDO
DIU NOCTUQUE REQUIETIS NESCIUM
AD EXTREMUM USQUE SPIRITUM
GESTA HUJUSCE DIOECESIS SOLLICITUDINE
INTENTISSIMA CURA ADLABORASSE
QUI JAMDIU SUSPEXISTIS
AB EADEM CHARITATE
CAELO UTI PAR EST CREDERE ADSERTO
GRATULAMINOR
VOBIS VERO AMANTISSIMI PARENTIS DESIDERIUM
QUAM DIUTISSIME
ILLACRYMAMINOR
COMPLEXUS OLIM QUOS AMORE FERVIDO
VIRTUTE NATOS EDUCASTI SEDULUS
EVECTUS ALTI SUPRA OLYMPI VERTICEM
LIBENS TUERE SOSPITATO PERPETIM

Digitized by Google

(In parte antica.)

VIRTUTIS VERAE CUSTOS RIGIDUSQUE SATELLES
EA VITAE INTEGRITATE
AB AETATE PRIMA
EXCELLUIT JUSTINUS PRAENITUITQUE
UT SIBI OPTIME DE EO ADHUC ADOLESCENTE
CUNCTI SPERARENT CONFIDERENT
QUI POLITIORUM LITTERARUM IN SEMINARIO AVERSANO
SEVERIORUM VERO DISCIPLINARUM
IN EPISCOPALI LYCAEO
CONFECTO SUMMA CUM LAUDE CURRICULO
DOMI SUB PATRUI FRANCISCI CATHEDRALIS
AVERSANAE CANONICI
SEVERA TUTELA
AD OMNIA RELIGIONIS STUDIA
ADPRIME INFORMATUS
NIHIL HABUIT ANTIQUIUS
QUAM UT PLEBIUM IN PEJUS USQUE RUENTIUM
MORIBUS REFRAENANDIS
SESE TOTUM DEVOVERET
VITAE EXEMPLIS SANCTISSIMAE
PUBLICIS PRIVATISQUE QUAS NUMQUAM POPULUS
SICCIS OCULIS AUDIVIT
HABITIS CONCIONIBUS
ALIISQUE ID GENUS ADSIDUIS
PERFUNCTUS LABORIBUS
HE RELIGIONE PULCHERRIME ISTE MERITUS
TANDEM
EX ASIAE FINIBUS HUC ADLAPSA
CUM MISERUM DEBACCHARETUR LUES
PRISTINUM ACRIUS URGENS PROPOSITUM
COMPITIS DOMIBUS OBEUNDIS CONTRAQUE MORTIS
TERROREM
MUNIENDIS ANIMIS
IMMANIS MORBI VI CONFLICTATUS
HEM FATI INCLEMENTIA!
AETERNUM SUI DESIDERIUM APUD OMNIS
RELIQUIT
VIXIT AN. XL MEN. IV D. XXIX
OBIIT PRID. NON. SEXT. AN. REP. SAL. MD. CCC. XXXVII.
HUIC
HIERONYMUS ET VESPASIANUS TAM SIBI CARI FRATRIS
JACTURA MOERENTISSIMI
IMPORTUNA LICET HAC FUNERIS APPARATIONE
SI QUID FORTE HUMANAE FRAGILITATIS
SUPERSIT EXPIANDUM
PARENTANT MORE MAJORUM
DUM FERVET IRA PRAEPOTENTIS NUMINIS
DIRAQUE MORTE DEMETIT PASSIM VIROS
NIMIS MERENTES SURPUISSE QUI POTEST
TIMENDA COELO TELA ET IPSE STERNITUR

Digitized by Google

(Ad latus sinistrum.)

JUSTINUS MARINIUS
QUEM OMNIBUS SANCTISSIMI SACERDOTIS NUMERIS
ABSOLUTUM
IN HOC TEMPLO SACRA FACIENTEM
CONCIONABUNDUM
SIVE INCOLAE SIVE ADVENAE
TOTIES ESTIS ADMIRATI
IN AERUMNIS LABORIBUS VIGILIIS
PERFERENDIS
UT LICENTIAE FRAENA INJICERET
RELIGIONEM VINDICARET ATQUE CONSTABILIRET
JESU CHRISTI VESTIGIIS STRENUE INSISTENS
QUOAD ADVIXIT
IMPERTERRITA FUIT ANIMI CONSTANTIA
POSTREMO
QUOD UNUM INVICTI ROBORIS SPECIMEN
SUPERERAT
MORTE FORTISSIME TOLERATA
VIAM AD SIDERA ADFECTANS
FORTIUM PRAEMIA EST ADSECUTUS

Digitized by Google

(In parte tumuli postica.)

JUSTINO MARINIO
RARISSIMO ECCLESIAE ADMINISTRO
REIQUE CHRISTIANAE NECESSARIO
QUI FORMA POPULI FACTUS EX ANIMO
NULLUM ELABI DIEM PASSUS EST

QUO

SIVE CONFESSIONIBUS EXCIPIUNDIS
SIVE DICUNDIS CUM LIBERTATE
E SACRA CATHEDRA SENTENTIIS
RELIGIONI DEMERUERIT
ET E VITIORUM COENO
AD PLENAM USQUE FRUGEM
PROVEXERIT
FILIO SUO AMANTISSIMO
RELIGIO
JUSTA PARENTALIORUM OFFICIA
LIBENS MERITO PERSOLVIT

Digitized by Google

V.

Cum Pius IX P. O. M Villa Porticuum moraretur Regium totius regni pauperum Hospitium invisit. Ad perpetuam rei memoriam sequentes ab auctore inscriptiones, petentibus Hospitio Praefectis, compositae fuerunt.

PIO IX. PONT. MAX.
PIENTISSIMO BENEVOLENTISSIMO
QUI
TEMPORUM INIQUITATE
ALMA URBE CEDERE COACTUS
REGIA PORTICUUM DUM MORARETUR
TOTIUS REGNI REGIUM HOCCE PAUPERUM HOSPITIUM
ID. SEPT. AN. REP. SAL. M. D. CCC. XLIX.
INVISIT ET TOTUM AMBIVIT
SINGULIS QUAE EXCOLUNTUR HEIC ARTES
NON SINE MAGNA VOLUPTATIS TESTIFICATIONE
CURIOSIUS INSPECTIS ET CONLAUDATIS
TUM
FAMILIA UNIVERSA LAETITIA GESTIENTE
AD PEDUM OSCULUM ADMISSA
DIGRESSURUS
OMNIUM ORDINUM PLAUDENTES
IN SUBJECTO CAMPO CONFERTOS
E MOENIANO
BENE CIVES ADVENASQUE
DIXIT
AD PERENNANDAM TANTAE INDULGENTIAE MEMORIAM
HOSPITIO PRAEFECTI
MEM. H. L. P. C.
AN. A VIRG. PARTU M. D. CCC. L.

(Ad aram, ubi Pontifex Pius ad Deum fudit preces.)

PII IX PONT. MAX.
PIETATEM SINGULAREM
QUOD
HAC REGIAE HOSPITALITATIS DOMO
ID. SEPTEMBRIS AN. REP. SAL. M. D. CCC. XLIX
CONVENTA
HEIC PIENTISSIMAS DEO SOLVIT PRECES
ET
BONA PRECANTIBUS VERBA
PERPETUAS IN POSTERUM INDULGENTIAS
INDULSIT
BREVIS HIC ADTESTATUR LAPIS

(Ad aliam aram ubi Sanctissimi Sacramenti benedictione fuit donatus.)

LAUDI PERPETUAE
PII IX SUMMI MAXIMIQUE PONT.
AD FESTIVISSIMUM COMMEMORANDUM DIEM
ID. SEPT. AN. REP. SAL. M. D. CCC. XLIX
QUO
PERLUSTRATO HOC REGIAE MUNIFICENTIAE HOSPITIO
ARAM HANC
AD QUAM
PER DIVINUM HUMANAE REPARATIONIS PIGNUS
COELESTI DONATUS EST BENEDICTIONE
PERPETUIS DONAVIT INDULGENTIIS

Eadem de causa hae, quae sequuntur, compositae, petentibus Monialibus, quibus nomen *le Pratesi*, vico dicto *Arco di Mirelli alla Riviera di Chioja*.

Digitized by Google

VI.

PIO IX. PONT. MAX.
PARENTI VERE PIENTISSIMO
QUOD
TEMPORUM INJURIA
ALMA URBE COACTUS EXSULARE
REGIA PORTICUUM HOSPES ACCEPTUS
SACRA VIRGINUM PENETRALIA
OMNIUM HAEC PRIMA INVISERIT
AC
SINGULARI BENEVOLENTIAE SIGNIFICATIONE
PERLUSTRARIT
PLURIMISQUE DITARIT INDULGENTIIS
VIRGINES FRANCISCANAE
HEIC DEGENTES
NE TANTAE BENIGNITATIS MEMORIA
SAECULIS DECURRENTIBUS
DILABERETUR
M. H. L. P. C.
AN. REP. SAL. M. D. CCC. XLIX.
QUEM SUMMO POSUIT PIETAS BENE GRATA PARENTI
IMPIA NULLA AETAS PRORUAT HUNC LAPIDEM

Digitized by Google

(In cubiculo, ubi ad pedum osculum Moniales admissae.)

HONORI LAUDIQUE PERPETUAE
PII IX PONT. MAX.
BENIGNISSIMI INDULGENTISSIMI
AN. REP. SAL. M. D. CCC. XLIX
AD COMMEMORATIONEM AUSPICATISSIMI DIEI
XVII KAL. OCTOBRIS
QUO DOMUM HANC LAETITIA GESTIENTEM
INGRESSUS
HEIC FAMILIAM UNIVERSAM
AD OSCULUM PEDUM ADMISSAM
SALUTARI ADLOQUIO
SOLATUS
EST

Digitized by Google

VII.

D. O. M.
JOANNI ANTONIO COCLE
JURIS LEGUMQUE PRUDENTIA
ANIMI CANDORE
MORUM FACILITATE
INGENII CAPACITATE
SINGULARI IN OMNES FIDE ATQUE OBSERVANTIA
EFFUSA IN PAUPERES LIBERALITATE
MIRA IN MUNERIBUS OBEUNDIS DEXTERITATE
PRAESTANTISSIMO
QUI
INGENTI SUI DESIDERIO APUD OMNES RELICTO
VIX ANNOS IV ET XXX NATUS
PRAETER OMNIUM OPINIONEM
HEU MISERA VITAE RATIO
SUPREMUM OBIIT DIEM
FRANCISCUS COCLE ET LAURA PETRONE
PARENTES AMANTISSIMI
NE
SAECULIS DECURRENTIBUS
TANTI VIRI DILABERETUR MEMORIA
M. H. L. P. C.
AN. REP. SAL. M. D. CCC. LIII.
QUISQUIS ES HAC TRANSIS CINERES SALVERE JUBETO
HOS PIUS ATQUE CUBENT MOLLIUS OSSA ROGA

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Oratio in Ambitionis damna . . . *pag.* 1

CARMINA

In Homeri laudem, carmen 21
In divi Stanislai Kostkae laudem, carmen . . 30
In laudem Divae Annae, carmen 36
In laudem Divi Dominici, carmen. 42
De rerum creatione, ecloga I. 48
Sub Vesevi allegorici montis damnosis pabulis pravorum librorum mala, ecloga II. 52
In laudem Silentii, ecloga III. 56
In humani generis Salvatoris anastasin, ecloga IV. . 60
Idololatria, quam Christus destruxit, ecloga V. . 65
Sub Sylvarum allegoria Seminariorum commoda et damna, ecloga VI. 69
Arcadiae laudes, ecloga VII. 73
Lycoris, ecloga VIII. 77
Uranius, ecloga IX. 81
Daphnis, ecloga X. 85
Lycoris, ecloga XI. 90
David, ecloga XII. 96
Daphnis, ecloga XIII. 101
In libros vetitos, carmen V. 106
Ad Isabellae reginae defunctae aspectum Franciscus Borgia, elegia I. 111

Digitized by Google

Divae Magdalenae Lacrymae, elegia II 112
Divus Athanasius exilio mulctatus jamjam profecturus suos alloquitur cives, elegia III. 117
Mathetas, morbo correptus jamjam moriturus, adolescentiae memoria in seminario nequiter actae, angitur, elegia IV. 120
Parthenis, ecloga XIV. 123
Palaemon, ecloga piscatoria XV. 131
Aristaeus, ecloga pastoralis XVI. . , . . 139
Urbs plorat sua damna, aegra Pium postulat, elegia V. 143
In Divi Caroli Borromaei laudem, alcaicon I. . . 149
In Historiae laudem, alcaicon II. 152
In laudem Divi Dominici, alcaicon III. . . . 157
Laudes Silentii, alcaicon IV. 161
Apostrophe ad Hebraeos, alcaicon V. . . . 163
In Hebraeorum pervicaciam, alcaicon VI. . . . 165
Ingenuus adolescens litterarum rudis suarum cupiditatum ludibrium, alcaicon VII. 168
In impios Enciclopedicorum conatus, alcaicon VIII. . 170
In humani generis Servatoris anastasin, sapphicon I. . 173
Honores sine litterarum ornamento nihili esse ducendos, sapphicon II. 175
In Seminariorum institutionem, sapphicon III. . . 177
In illustrium scriptorum, qui Augusti aetate floruerunt, laudem, sapphicon IV. 179
Silentii laudes, sapphicon V. 182
In Nativitatem Domini, sapphicon VI 184
In cujusdam sacerdotio inaugurati laudem, sapphicon VII. 187
In Divi Dominici laudem, sapphicon VIII. . . . 191
In *Cabalistas*, sapphicon IX. 194
Ad Sirenem, sapphicon X. 196
In Divi Athanasii laudem, asclepiadaeon. . . . 201
In divinam humani generis Servatoris anastasim, glyconion asclepiadaeon I. 203
Ad D. Athanasium absentem ut cito redeat Alexandriae vota, glyconion asclepiadaeon II 205
In foedam honorum cupiditatem, jambicon I. . . 211

In obscoenos poetas, jambicon II. 213
In sodales alios pervertentes, jambicon III. . . 215
In laudem silentii, jambicon IV. 217
In D. Athanasii laudem, jambicon V. . . . 219
In D. Dominici laudem, jambicon VI. . . . 221
In obscoenos libros, jambicon VII. 224
In pulices per aestatem molestos praesertim in seminarios, phaleucium I. 227
In laudes silentii, phaleucium II. 229
In Nativitatem Domini ad specum bethlemiticum adlocutio, phaleucium III. 231
In Divinam Anastasin ad Sepulcrum adlocutio, phaleucium IV. 235
In D. Athanasii laudem, phaleucium V. . . . 237
In Nativitatem Domini, phaleucium VI. . . . 241
Philippo S. R. E. Cardinali Judici Caracciolo archiep. neap. ejus onomastica recurrente die, phaleucium VII. 245
Cajetano Ciaramellio, ipsius onomastica recurrente die, phaleucium VIII. 250
Josepho Pappalardi ad Compsanam sacram regendam cathedram evecto, phaleucium IX. . . . 252
Xysto ex Ducibus Riario Sfortia, humanae salutis Reparatoris natali recurrente die, phaleucium X. . . 254
Ad Infantem Jesum adlocutio, phaleucium XI. . . 257
Idem argumentum, phaleucium XII. . . . 261
Quum religiosum habitum Auctoris soror indueret, phaleucium XIII. 263
Quum eadem Auctoris soror germana religionem profiteretur, phaleucium XIV. 367
In sollemni studiorum inauguratione, quum praemiis donarentur qui diligentiorem per exactum annum studiis dederunt operam, phaleucium XV. . . 270
PIO IX P. M. dum villa Porticuum moraretur, phaleucium XVI. 272
Hieronimo ex Marchionibus de Andrea in amplissimum senatum S. R. E. cardinalium cooptato, phaleucium XVII. 273

Digitized by Google

Quum religiosum habitum quaedam indueret, phaleucium XVIII. 278
Xysto ex ducibus Riario Sfortia, humani generis Servatoris natali recurrente die, phaleucium XIX. . . 282
Cajetano Barbato, quum inter amplissimos ecclesiae metropolitanae canonicos esset cooptatus, phaleucium XX. 284
Equiti Benedicto Vulpes, quod e periculoso morbo praeter omnium opinionem convaluerit, phaleucium XXI. . 286
Divo Alphonso de Ligorio Benedicti Vulpes vota gratesque. 289
E. Benedicto Vulpes e gravissimo morbo pristinam sanitatem adepto. 290
Triumphus Religionis, elegia 291
Hieronymo de Andrea Stephanus Viglionius . . 293
In obscoenos libros, μελος α. 297
In amoeniorum litterarum laudem, μελος β. . 299
In Divum Dominicum, μελος γ. 302
Hieronimo de Andrea. 303
EPIGRAMMATA . . . . . I — LXXXVI. . . 313
Xysto ex Ducibus Riario Sfortia, humani generis Servatoris natali recurrente die, hendecasyllabi . . 365
Xysto ex Ducibus Riario Sfortia, quod Cholera morbo urbem miserandum in modum insectante pro sui gregis salute atque incolumitate quibuscumque potuit rebus enixe adlaborarit, ecloga pastoralis, cui nomen Daphnis. 368
In mortem Viti Capialbi luctus pastoritius. . . 376
Ecloga pastoralis, cui nomen Parthenis . . . 381
In ingenuorum adolescentium qui litterarum cultum destituuntur infelicitatem, elegia. 388
INSCRIPTIONES. 393

Digitized by Google

pag.	v.	Errata	Corrige
7	30	sumere. Menede-	sumere Menede-
12	10	scite, admodum	scite admodum
18	10	praesentibua a domesticis	praesentibus ac domestiris
22	1	condiderat	contulerat
24	24	Moconides	Moeonides
26	24	favere	fovere
ibid.	13	secu	secus
28	13	Jam	Tam
29	29	coctu	çoetu
34	7	flagrat	flagra.
35	7	battheo	baltheo
37	8	Tartareas	Tartareos
38	11	hunc	nunc
39	20	st	et
43	1	monumenti	monumenta
44	17	stygiis	stygis
45	13	fractia	factis
49	3	tute	tutae
ibid.	5	calams	calamis
ibid.	14	sua	suae
50	21	migistris	magistris
59	7	ailentia	licentia
ibid.	13	ex templo	extemplo
64	15	state; animis	state animis
70	3	latentque	latent quae
78	12	somni	omni
ibid.	16	genus	genas
ibid.	21	Blanditiis. Illam	Blanditiis illam
ibid.	23	opia	copia
84	24	Uranie	Urani
86	14	canam	canum
89	9	hortus	hortos
92	8	mentis	meritis
94	8	Pluris	Ruris
96	6	habere	habuere
99	12	nec	me
100	3	sicura	si cura
ibid.	4	adigat	adigas
ibid.	5	viro	mihi
103	14	nate	natae
104	5	lupos	lupus
105	1	decorant	decoram
108	15	fugat	fuat
110	20	seu	ceu
ibid.	24	infremuitque. Profundum	infremuitque Profundum
ibid.	28	Junctaque	Functaque
113	11	ecquid enim non vis	ecquid enim ? non vis

Digitized by Google

115	7	Item	Hem
121	22	mortes	mores
122	15	earus	caros
125	20	genistus	genistis
127	20	Demittite	Demittito
131	*in adnotatione* v. 8 in alia		in aliis
132	20	Lycida	Lycidam
136	9	vos Mergellinae quaeis	vos Mergellinae, queis
140	18	Scilicet, et merito primis	Scilicet et merito, primis
141	14	cum feceris	cum fecerit
148	*in notula*	Consolatarum	Consolatorem
150	12	utin	ut in
153	8	metuendas	metuendus
161	6	Donantis	Tonantis
ibid.	8	ne potum	nepotum
ibid.	13	pes	per
168	6	est ingenuam	est, ingenuam
ibid.	19	conchaeque	comaeque
169	24	vacanti	vocanti
183	16	βιωπην	σιωπην
187	13	gentis	gentes
196	10	Nympharam	Nympharum
199	14	extricti	extructi
202	19	Athanauta	Athananta
209	13	Anche	A che
212	3	Atho	At oh !
ibid.	4	subditas	subditus
219	9	minas	minax
220	11	Atoo	At o
222	1	tunc	tune
223	11	tuo	suo
225	13	At quid	At o quid
230	7	tenta	tanta
234	13	di	di
236	2	aliis	alii
241	1	Æthera	Æthra
242	1	amantes	amanter
246	28	tenellis	tenelli
256	11	praetiosiora	pretiosiora
260	12	Quam jamdudum praeoptat	Quem cor osque meum praeoptat
265	12	metà	meta
268	15	il tuo	al tuo
271	16	benignus	benigniora
272	2	Porticum	Porticuum
274	*in notula ad marginem adjiciendum*: nempe ιερος sacer, et ονομα nomen.		
276	2	feres	ferax
287	5	obripuit	abripuit
ibid	18	atros	atras
289	13	fide	fido
302	14	πελεθαι	πετεθαι
ibid.	18	ερηριον	ερημον
ibid.	23	ναι νον	ναι νυν
306	11	Det fama	Dat fama

308	7	rectamque	rectumque
310	3	lenitas clarissime virum	bonitas dulcissime rerum
315 in titulo Epigr. vel .... exhortis			Sol .... exortus
318	3	fractus	factus
319	15	audis, Joseph	audis Joseph
321	7	est	ut
325	14	Dell' almo	Dell' alme
327	13	Quis satis hoc credat	Quis satis hoc credat ?
331	17	κευμα	χευμα
332	2	εσι νεον	εσι νεον
ibid.	5	Θαυμαυτον	Θαυμαιον
ibid.	13	delapsa	delapsus
333	5	hortum	ortum
ibid.	12	Hec	Hoc
338	8	κνοκε	κνοχε
ibid.	14	Corporis	Corporibus
342	10	saperasse	superasse
344	7	Marte	Macte
ibid.	11	Qui piger, es sapiens	Qui piger es, sapias
347	1	Deus	Ceus
359	6	δια δρακαντος	δια δρακοντος
387	1	cura	rura

MONITUM.

Quamvis non mediocrem adhibuerim diligentiam, ut hæc mearum elucubrationum editio et nitida, et ab omni, quoad ejus fieri posset, mendarum labe expurgata publica luce frueretur, plurimae tamen, quod nolui, in eam irrepserunt. Quod sane postquam totum jam confectum et absolutum opus a carceribus ad metas perlegens animadverti, maxima, ut ingenue fatear, molestia ac dolore sum adfectus. Id profecto non tam Typographi, qui suam mihi sollertiam ac sedulitatem satis superque probare studuit, quam cujusdam adolescentis, qui mihi in exscribendis e variis schedulis, et in unum volumen redigendis carminibus a scripto fuit, ignorantia et negligentia factum est. Utcunque sit, factum infectum fieri nequit, omnia vero humana opera, quantamvis elaborentur, et expoliantur rudia magna ex parte, atque impolita solent existere. Hoc tu quum probe scias, benigne lector, me habebis excusatum. Sed ne tibi, qui passim occurrunt, errores negotii quid facesserent, erratorum catalogum heic postremo in loco adnectendum putavi, quem consuleres, quoties mendosam offenderes lectionem. Nonnulla levioris momenti errata, ac distinguendae orationis aut perperam interiectas, aut incuria omissas notulas indicare ea de caussa praetermisi, quod et sententiam non adficerent, et ipse per te dignoscere, nulloque posses corrigere negotio. Sic igitur facies, et hanc meam qualemcunque opellam pro tua benignitate ac benevolentia libenter excipias et complectare. Vale.

A01 1467011

Digitized by Google

CONSIGLIO GENERALE

DI

PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli 12 *febbraio* 1852.

Vista la domanda del Tipografo Francesco Saverio Lanciano, il quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata Lucubrationes Sacerdotis Stephani Viglionii.

Visto il parere del Regio Revisore Sac. D.Raffaele de Gennaro.

Si permette che la suindicata opera si stampi; però non si pubblichi, senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Presidente
FRANCESCO SAVERIO APUZZO.
Il Segretario
GIUSEPPE PIETROCOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google